


dr.
6









ORATIO,

Quam memoriam

VIRI

AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI
ET CELEBERRIMI,

D. CASP. THEOD.
SVMMERMANNI,

VTRIVSQVE IVRIS DOCT. AC PROFESSORIS
IN ACADEMIA DVISBURGENSI SENIORIS
ET PRIMARII,

Die X. Februarii, Anno ccccclii,
EX AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI
DECRETO,

post peractas rite exsequias
in Acroaterio majore
habuit

IOANNES HILDEBRANDVS
WITHOFIVS,

Historiarum, utriusque Eloquentiae, & Græcae Linguæ
Professor Ordinarius.

DVISBURGI AD RHENVM,

Typis IOAN. SEBAST. STRAVBII, Acad. Typogr:

(1752)

ОІТАЯО
Избр. №: 6
СОНЕЧНАЯ
СЕМЬЯ

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DUSSELDORF

СУДИЛСЯ НА ЗЕМЛЮ
БІЛОСЛАВ СУДІЯ ТРЕТИЙ



9118 664 01

*VIRIS
ILLVSTRBVS, AMPLISSIMIS
CONSULTISSIMISQUE
SINGVLARI DOCTRINA ET DIGNITATE
EMINENTIBVS*

**D^{NO} IOANNI GVILIELMO
SVMMERMANNO,**

OLIM IN ACADEMIA DVISBURGENSI IURIS
VTRIVSQVE DOCTORI AC PROFESSORI
PVBLICO CELEBERRIMO, NVNC VERO IN
ILLVSTRI AC SVMMO CAMERÆ IMPERIALIS,
QVÆ WETZLARIAE COMMORATVR,
DICASTERIO ADSESSORI
SPLENDIDISSIMO,

NEC NON

**D^{NO} IOANNI HENRICO
SVMMERMANNO,**

QVONDAM SIMILITER IN ACADEMIA
DVISBURGENSI IURIS VTRIVSQVE DOCTORI
AC PROFESSORI PVBLICO CELEBERRIMO, AC
DEINCEPS IN AVLA CASSELLANA PRÆCIPVIS
DIGNITATIBVS FVNCTO, NVNC VERO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSIÆ
REGI IN REGIMINE CLIVENSI ET MARCANO
AB INTERIORIBVS CONSILIIS, GYMNASII
HAMMONENSIS CVRATORI, NEC NON
CLIVENSIVM SCHOLARCHÆ
GRAVISSIMO,

1700

FRATRIBVS GERMANIS,
MAGNI PARENTIS,
CVIVS HONORI ET MEMORIÆ HÆC
DICTA SCRIPTAQVE FVERVNT,
FILIIS EXCELLENTISSIMIS,

FAVTORIBVS ET AMICIS SVIS
DEBITA VENERATIONE
PROSEQVENDIS

CVM OMNIGENÆ PROSPERITATIS VOTO

HANC ORATIONEM,
TANQVAM PIETATIS ET OFFICII SVI
TESSERAM CONSECRAT

AVCTOR.

DEDI.



DEDICATIO.



Quanta Philænorum fuerit concordia fratrum,
Pro patrid claram qui subière necem,
Sedula miratrix meritorum cana Vetustas,
Laudibus attonitâ posteritate , canit.
Cur geminus Castor, geminus cur nomine Pollux
Audiat, haud unquam dignus uterque mori,
Et Veteres titulo venerentur saepius uno,
Diversos norunt quos tamen esse duos,
Nemo , nisi nostris nimium peregrinus & hospes,
Fortassis poterit non meminisse, sacris.
Æmula Laus illud nomen facit , æmula Virtus,
Æmulus alterno pectore junctus Amor ;
Mentibus & trepidis aliorum saepe per orbem
His à Tyndaridis fratribus orta salus.
Illa salus toties bellis spectata Quiritum ;
Illa tot in creperis rebus amica fides ;

A 3

Sæva-

DEDICATIO.

*Sævaque Ventorum tumido procul agmina ponto,
 Alba simul nautis stella refulsit, agens.
 Dum fugiunt nubes, saxis agitatus & humor
 Desfluit, & pelago concidit unda minax.
 Pulcra, nisi fallor, Vestræ pietatis imago :
 Pulcra, nec eventu sœpe probata minus.*

SVM MERMANNIADÆ, Fratrum duo nomina, quondam
Deliciæ Matris, deliciæque Patris.
Ordinis & Vestri verè nova lumina, sacræ
Dantia grande decus, grande datura Togæ.
Unde sibi miseri, sceleratos sœpius unguies
Vulturis infandi questa caterva, Rei,
Unde laborantes dubiis in rebus oborta
Quærere suppetias post mala posse putant ;
Et sibi consilium promittere semper opemque,
Auxiliatricis maxima dona manus.
Pergite lucentem generosæ mentis & altæ
Promere tam mirâ dexteritate faciem.
Pergite candoris, summæ virtutis, & artis
.Plurima per populos signa relicta dare.
Et, scio, pergetis : nota est miki gloria, notus
Ille carens maculis integritatis honor :
Ille laborantes miti pietate juvandi,
Ille retundendi crimina viæta calor :
Magnaque tot studiis rerum collecta supellex,
Nullius & prævi conscientia Vesta fides ;
Judicioque gravi suffultum mentis acumen,
Nec delassatus nocte dieque labor,

Segni-

DEDICATIO.

7

Segnities nullo Siren cui blanda veneno,
Nulla Voluptatis retia dira nocent;
Tantaque sedulitas, cuius PATER ipse stupendum
Exemplar VOBIS, calcar & ante dedit.
Hujus inexstinctas imitari pectore laudes,
Et varias dotes creditis esse parum:
Ni simul, Elysiis campis plaudente vel ipso
Patre, decus tantum vincere cura foret.
Ausus Alexander sic & virtute Philippo,
Pellaeus juvenis nempe praetire seni.
Ægen sic Theseus, sic Atrea vincere dictus,
Rex Regum, titulis dux Agamemno suis.
Pelea sic magnan major superavit Achilles:
Sic veterem natus Jupiter ipse patrem.
Aut, modò si priscis sociare recentia filo
Carminis, & magnis jungere parva licet,
Heinsiis Heinsiadæ sic victus imagine vates,
Grandisonam quamvis tractet uterque tubam.
Hunc raptum tenui quoniam sermone Parentem,
Magnaque præclari diximus acta Viri,
Exiguum VOBIS, nullâ licet arte, libellum,
Quo decet, officio consilioque damus.
Illud amicitiae, quâ me dignata fuerunt
Aurea jamdudum pectora Vestra, genus,
Ille favor mentis, simul & prolixa voluntas
Amborum toties testificata mihi;
Quaque gravis Genitor Vester, dignissimus ævo
Cernere Nestoreos ulteriore dies,

In



*In loca me juvenem prius huc peregrina vocatum
 Complexus, nullo conciliante, fuit,
 Quæque foret memori jucundum plura referri,
 Officio stimulos addere visa meo.
 VOS modò, quæ Vestra est bonitas, qui nobilis ardor
 Augendi quavis prosperitate bonos,
 Et studiis pretium statuendi rite, sacrisque
 Artibus Aonii Palladiique gregis,
 Dicere si liceat, mihi quam monstrasti amicam
 Sæpe voluntatem, continuare meis.
 Et simul has tradi tenues permittite chartas,
 Sinceræ veluti parva tributa manus:
 Gestæ quibus Vestri memorantur magna Parentis,
 Non Styge, Lethœ non abolenda vado:
 Aptæ Senis tanti vivax extendere nomen,
 Et stimulos aliis addere luce sud.*



AVDI.



AVDITORES

*Omnium Ordinum & Dignitatum
Honoratissimi.*



Tandem illud evenit, cuius metu &
formidine tam diu suspensi luctum ac
merorem hujus loci sollicitâ cogita-
tione præcepimus: Tandem lumen
eximum, quod diurno fulgore
Athenæi nostri sacrarium collustra-
vit, extinctum. Rebus videlicet humanis exemptus est
Vir amplissimus CASPARVS THEODORVS
SVMMERMANNVS, Jurisconsultus celeberrimi-
mus, non solum Collegii nostri & hujus Academiæ,
B sed

sed universi etiam ordinis sui quaquaversum per Germaniam florentis insigne decus atque ornamentum, qui per annos quinquaginta duos, hoc est, ultra dimidium seculi, ac, si plerorumque mortalium fragilitatem recordamur, prope per integrum humanæ vitæ spatium hanc præclaram bonarum quarumvis artium & scientiarum officinam omnis humani divinique Juris doctrinâ locupletavit, & in ea quasi quendam mercatum non solum indigenis & inquilihis, sed omnibus etiam circum circa commorantibus communem instituit; idque cum summa innumerabilium per tantam temporis diutinatatem huc discendi causâ confluentum utilitate & applausu. Rara profecto ac summopere prædicanda felicitas tam diurni fulgoris, inter mirificas rerum humanarum vices huic venerabi quondam, & concatenatis tandem laboribus fracto & exhausto Seni à benignissimo Numine concessa. Singularis, Auditores, & eximia quædam prærogativa, paucissimis ubique per orbem terrarum mortalibus, in nostro vero collegio à conditâ Academiâ in hodiernum usque diem, præter solum hunc memorabilem Jurisconsultum, nulli tributa; non venerando quondam seni *Christophoro Friderico Crellio*, Theologo peregregio, proxime ad hanc felicitatem accedenti, non celeberrimo *Henrico Hulso*, ejusdem olim in hac scientiarum palæstra facultatis & doctrinæ antistiti; non ulli etiam ceterorum hinc deinceps aliò translatorum, vel *Joanni Georgio Grævio*, vero suorum temporum Varroni ac Tullio, per tantum licet temporis spatium Duisburgensium, Daventriensium ac postremo Trajectinarum Musarum Sacerdoti, vel *Gerhardo illi Mastrichtio* nostratum pariter ac Bre-
men-

mensium ornamento singulari, vel ejusdem fratri *Petro Maastrichtio*, Theologo Scriptis frugiferis & religio-
fâ pietate conspicuo, vel *Gerhardo Feltmanno*, magni
nominis ac plurimæ dignationis Jurisconsulto, vel cui-
piam denique alteri quantum comperire potuimus, hic
prius, ac deinde alibi quarumvis literarum & scientia-
rum Sacris operato. Ac præclarissimo quidem, de
quo diximus, illi *Crello* publici, ut ita loquar, mune-
ris sui curriculum paulisper citra hanc metam substi-
tit, cum ad quinquagenarium numerum ei in exornata
Sparta pauci anni deessent, qui celeberrimo huic Juris-
consulto etiam superfluerunt. Vel sic tamen sæpenu-
mero in votis habui, Auditores, ut duos hujusmodi
viros egregios sibi ipsis etiam invicem per breve tempus
olim cognitos, & universam Academiæ nostræ ætatem,
integrum videlicet penè seculum, munera suorum
ambitu complexos, uno in loco congregatos alloqui,
eosque velut oculatos testes de omnibus Academiæ no-
stræ fatis interrogare licuisset. Accuratam sic certe &
omnibus numeris absolutam totius, quo prope jam ce-
leberrimum hoc Athenæum floruit, seculi historiam ex
ipso certissimorum testium ore haberemus, qui omni-
bus rebus interfuerant, qui omnium ora vultusque
conspexerant, omnium denique mores ingeniaque cre-
bro usu & conversatione cognoverant. Quo enim an-
no sibi fatali in pertexenda hujus Sacrarii ab ejus initio
historia desisset *Crellius*, eodem scilicet millesimo se-
ptingentesimo celeberrimus noster *Summermannus* te-
lam inchoasset, eamque ad nostra usque tempora ocu-
latus & fide dignissimus testis deduxisset. Fateor sane,
quæ mea est curiositas, & perpetua ab incunabulis di-

scendi cupido, hujusmodi me sermones non aliter quam Socratis, aut Platonicæ cenæ delicias, avidissimis atribus imbibiturum fuisse. Quid enim dulcius, quam senes audire loquentes, & præteriorum temporum memoriam placida cum jucunditate refricantes? ut di-vino Ciceroni nostro hanc suavitatem tantopere in Catone suo majore prædicanti toto pectore & mea sponte de hac veritate convictus ipsaque experientia confirmatus semper adstipulatus fuerim. Qualem, o qualem ego me Vobis, beatissimi Senes, auditorem, quam plenum venerationis simul & amoris sine ulla malevolentia, si licuisset, quæsitorem præstitissem!

Ingratissimi itaque mortalium foremus, Auditores, nisi tanto tamque venerabili Seni ultimos hos in Academiis usitatos honores, ab antiquissimis quibusque gentibus aliquam humanitatem professis repetitos, solenni hac panegyri præstaremus, Jurisconsulto incomparabili, Doctori & Interpreti Legum dexterimo, Juris quondam sacerdoti sanctissimo, dictis, scriptis, actisque immortalibus per orbem eruditum celebrato, Viro prætera ac Collegæ honoratissimo, per tantum temporis ac muneris sui maxima semper cum dignitate gesti spatiū sacrosanctæ huic scientiarum officinæ, communī Matri nostræ, gloriam & fulgorem largito. Hanc vero dicendi provinciam unanimi Senatus amplissimi decreto ad me delatam quo minus pro tenuitate & ingenii penuria deprecarer, obstabat pietas, quam me Defuncto debere credebam ob prolixam voluntatem, qua me juvenem, Bomeliā ad Vahalim, illustris Gymnasii moderamine illic per biennium fe-

rè

rè administrato, in hanc primo Academiam anno hujus seculi vigesimo vocatum, ac deinceps continuo prosecutus fuit; obstabat singularis favor & benevolentia, quâ me incomparabiles & omnia magna etiam in manus provehentes Paternæ laudis Heredes dignantur; obstabat denique muneris ipsius ratio, ne quæ tot aliis postremæ humanitatis officia sincero pectore semper præstisset, huic summo Viro, cui talia præcipue deberi existimabam, denegasse viderer; quamvis pudor meus & verecundia nonnihil etiam volentem retardarent, nec ignorarem, quantâ cum difficultate coniunctum esset, de præclarissimo hujusmodi Jurisconsulto coram amplissima concione verba primo facere, ac deinceps eadem attentissimis quibusque lectoribus perpendenda exhibere. Malui itaque laudis, quæ ex eruditio[n]e & eloquentia, quam ejus, quæ ex pietate & officio nascitur, jaeturam facere. Vos vero precor, Auditores omnium ordinum honoratissimi, ut brevi oratione præcipua, quæ nobis in his temporum angustiis innotuerunt, complexurum vestra benevolentia prosequi, & attentis auribus animisque pauca quædam è multis percipere non dedignemini.

Quantum ad perficienda hominum ingenia conferat natale solum, non una est inter eruditos, tam veteres quam recentiores, sententia. Sunt, qui in ea versantur opinione, habitum ingeniorum, eorumque dexteritatem ab ipsis dependere locis ac regionibus, in quibus auram vitalem primo aliquis hauserit. Non pauci contra reperiuntur, qui nullum hic discriminem agnoscent, si omnia diligenter, & accurata examinis

trutina ponderentur; in Thraciâ etiam asperâ & mon-
tosâ quondam Orpheum, arbores faxaque dulcedine
cantus sui & flexanimo carminum divinorum lepore
trahentem, in eadem Democritum, summi nominis
Philosophum, cuius respectu sibi reliquos omnes quin-
tae classis videri scribere non erubuit Cicero, inter
barbaros, & sero, sicut vulgo dicebatur, sapientes
Phrygas illum subtilissimum fabularum architectum &
veteris sapientiæ antistitem, Æsopum, apud Scythas
denique Anacharsin, ut ceteros hujusmodi prætereamus,
genitum fuisse, dictantes. Et profectò si verum
amamus, nec vanis ineptisque anilium commentorum
deliriis animum jejunum paſcere volumus, omni ratio-
ne destitui confitebimus, quæ de tantâ harum vicina-
rumque regionum ac locorum differentiâ in producen-
dis hominum ingeniis ad artium & scientiarum cultu-
ram idoneis tanto ſæpe cum hiatu jaſtantur. Neque
enim nunc de extremâ nobis Cimmeriâ arctoo polo
proximâ, quam nebulæ malusque Jupiter, ut Venusi-
ni Poëtæ verbis utar, perpetuò cum horridi frigoris
asperitate urget, sermo eſt. In his vero populis & re-
gionibus quin plus educationi & conſuetudini, tum
propriæ uniuscujusque diligentia, quam mutarum val-
lium montiumve, aut aëris efficacia tribuendum ſit,
minime apud graves & sapientes rerum omnium co-
gnitores in dubium vocandum eſſe arbitramur, facile-
que adduci poſſumus, ut illud arctè teneamus, & ac-
curate, quoties uſus ferat, defendamus: quicquid au-
tem in uno alteroque huic vel illi homini populōve de-
fuerit, illud alio quodam naturæ beneficio, non ſine
admirandâ divinæ sapientiæ & bonitatis providentiâ,
uber-

ubertim compensari; alacritatem & ingenium adesse aliis, sed constantiam & judicium, bona profecto tam necessaria, se non satis ubique conspicienda præbere; quosdam momentaneo, &c, ut ita loquar, desultorio quævis inveniendi acumine præ ceteris pollere, sed inventa poliendi & velut exasciandi dexteritate destitui, quæ dotes aliis tam largiter saepe contigerunt; paucos ubique locorum & gentium, quibus utraque hæc bona à Deo immortali tributa sunt, reperiri; reperiri tamen ubique, tantoque in majore honore, si reperiantur, si ne livore ullo ac nigræ loliginis succo habendos atque prædicandos esse.

Patriam celeberrimus noster Jurisconsultus habuit Westphaliæ, illam, inquam, Westphaliæ, perpetuam primo Romanæ Germanicæque fortitudinis sub divo Augusto ceterisque Imperatoribus, inde à Drusi & Quintilii Vari tempore, arenam, ac deinceps sub Carolo magno, ejusque Successoribus non minus quam parentibus, Saxonicae Francicæque virtutis palæstram, veram illam, veteremque ac genuinam Saxoniam ab omnibus eruditis eo nomine unanimiter commendatam; quam cur posteriori ætate nonnulli profecto nimis imperiti ac vitio creati rerum censores tam negligenter habere soleant, nullas utique deinceps aëris aquæque veteris vicissitudines passam, aut alii cuiquam zonæ cœlesti subiectam, vix, Auditores, intelligo. Veras tamen, non imaginarias aliquas causas, rejectis plebejis febriculorum hominum scommatibus, inquirrens, duas potissimum, easque tantum fortuitas circumstantias, tanquam veros ac genuinos minoris existimationis

mationis fontes, mihi deprehendisse visus sum; quarum una est, quod tota fere Westphalia ab extraneis & alibi commorantibus Principibus in provinciæ formam redacta nullis jam longo tempore ingentium Magnatum aulis, aut certe rarib[us] & minoribus fulgeat, ac proinde quandam quasi simplicitatis, certe non politæ gentis speciem cincinnatis & comtulis illis censoribus referre videatur, altera, quod nimium vicina Belgio fœderato omni commerciorum genere ad stuporem florenti, omnibus divitiis, luxu, & incredibili rerum quarumvis copia referto suæ ceteroquin non contemnendæ regionis oppositu, nescio quam existimationis jacturam, si ab imperitis hominibus comparatio instituitur, pati cogatur.

In hac igitur vere laudabili ac præclarâ Westphaliâ, quæ tantum eruditissimorum hominum globum, quæ Buxtorfios, Meibomios, Rivios, quæ Leunclavios, Buschios, Goclenios, Perizonios, Lampios, aliasque innumeros, centuplo majorem, quâm quem Hermannus olim Hamelmannus de iis confecit, Commentarium postulantes, quæ illustrissimos Fürstenbergios, Mallinkrotios, Rottendorfios, quæ consultissimos Bæckelmannos, Meinderos, Potgiesseros, Klockios, quæ innumerabiles denique alios omni humanarum divinarumque rerum scientiâ celebratissimos protulit, in hac, inquam, tot præclarorum ingeniorum fecunda matre, cuius etiam nos ipsos nunquam, donec sani erimus, penituerit, natus est venerabilis quondam senex noster SVMMERMANNVS, & quidem *Unnæ*, in celebri illo Comitatus, ut appellant, Marcani oppido,
Caroli

Caroli etiam quarti, Romanorum Imperatoris, coronatione quondam nobilitato. Patriam itaque urbem habuit eandem, quam Hermannus Alexander Roëllius, subtilissimus ille ac vere amabilis Theologus, & celeberrimi in Republicâ literariâ Dukeri cum hoc ipso SVM MERMANN O nostro artissimo simul cognationis vinculo connexi, quosque meam quoque adolescentiam, cum in Belgio versarer, sua commendatione olim sponte & ulro omnes ornasse glorior, ortu suo & nativitate decorarunt; ut de illustri Daniele Wiemann, Clivensis hujus Regiminis Cancellario, ibidem nato sileamus. Editus autem in lucem est præstantissimus Collega noster anno superioris seculi septuagesimo quarto, hoc est, eodem, quo celeberrimus Halensium Jurisconsultus Justus Henningius Böhmerus, ante paucos annos defunctus, omnis præfertim Ecclesiastici Juris stator & antistes, vitalem hanc primo lucem haufisse narratur. Patrem habuit, Avumque ejusdem nominis SVM MERMANN NOS, hunc Senatorem spectatissimum, illum vero ejusdem urbis Unnensis Consulem amplissimum, qui ex lectissima conjuge Putteria, defuncti Collegæ nostri matre, nobilissimæ in hoc tractu Putterianæ familiæ, præturis, consulatibus, aulicisque etiam deinceps dignitatibus eminentis progenie, plures non generes liberos, ac inter illos, præter celeberrimum hunc Jurisconsultum nostrum, etiam virum amplissimum Joannem Thomam Summermannum, antea potentissimi Borussorum Regis in Urbe & agro Iserlonensi Judicem & Causarum Patronum, deinde vero Sereñissimi Principis Lowensteinio - Wertheimensis Cancella-

C

cella-

cellarium, similibusque apud Fuldenses muneribus cum laude perfunctum, procreavit.

His ille tam egregiis simul ingenuisque Parentibus in lucem editus quin à teneris, ut dicitur, statim unguiculis non solum domi honestè educatus, sed primis etiam literarum & sanctissimæ religionis nostræ rudimentis in patriæ urbis ludo literario decenter imbutus fuerit, quis dubitat? Hoc autem tyrocinio deposito, cum jam quodammodo sine cortice natare, eosque scopulos, ad quos plerorumque adolescentum navicula in ætatis lubrico adhærescere solet, vitare posse videretur, missus est primum *Hammonam*, primariam illam præcipuamque tractus Marcani urbem, illustri Gymnasio conspicuam, quod jam dudum Abrahamus ille Gulichius, Guilielmus Momma, Gothofredus Colerus, Theodorus Niesius, Philippus Johannes Tilemannus, Adrianus Pauli, pluresque non incelestes optimarum disciplinarum doctores nobilitaverant. Profitebantur eo tempore in Hammensium Athenæo Jus Romanum Vir amplissimus *Carolus Joannes Wortmannus*, serenissimo deinde Eleotori Brandenburgico ac postea Regi Borussiæ Friderico I. ab interioribus consiliis in Regimine Clivensi constitutus, Literas vero humaniores, Historias ac Philosophiam, præter Theologiam extra ordinem demandatam, venerandus *Albertus Schumacherus*, Bremensium postremo Theologus præstantissimus. His ducibus ac magistris se Noster statim summa cum diligentia ita applicuit, ut brevi temporis spatio non paenitenda studiorum incrementa sibi fecisse videretur. Jucundissi-

dissimum illud tempus, quod in politissimi Schumacheri disciplina transegerat, crebro sanè, nec sine exporre-
ctæ frontis hilaritate quadam prædicantem audivisse me recordor.

Decurso hoc stadio *Coloniam* se contulit, Ubiorum caput, Romam illam Germanicam, sub *Demonte* clarissimo Juris Professore, inceptam studiorum suorum telam continuaturus. Quia autem non ignorabat præter Romanum etiam publicum ac feudale, tum *Gentium* ac *Naturæ* Jus in primis non modo utile ac jucundum, sed maximè necessarium esse, has vero scientias in Protestantium Academiis longè ut liberius, ita sincerius etiam & enucleatus excuti, fine rasorum & sacrificulorum, sua ulcera atrectari scaphamque vocari scapham non libenter audientium, & ad ipsius Papæ Romani imitationem judicare de omnibus, de se neutiquam judicari volentium, tribunitiis etiam clamoribus, dum soli loquuntur, postulantium metu; difficillimas insuper & intricatas questiones, summi simul Imperii & Sacerdotii toties inter se collisi arcana tangentes, penitus ibi enodari, non diu sibi *Coloniae* subsistendum credidit. Inde itaque se *Jenam* recepit, in cuius florentissimo Athenæo tum temporis præter alios viros præclarissimos, in omni disciplinarum ac studiorum genere certatim ad palmam contendentes, in primis eminebat illustris *Nicolaus Christophorus de Lyncker*, Jurisconsultus consummatissimus, ac deinceps ob ingentes maximorum meritorum laudes tam in vicinis aulis, quam in ipsa Academia acquisitas in Nobilium & Sacri Romani Imperii Equitum Ordinem,

nem, nec non in aulicorum Consiliariorum Collegium, quod Viennæ præcipuas Controversias eò delatas tractat, à potentissimo Romanorum Imperatore adscitus. Hic jam in enavigando Jurisprudentiæ tam latè patentis Oceano vela sua latius expandere coepit, omnesque diligentiaæ nervos intendit, ut plurimarum rerum notitiam sibi compararet, ut quæ Syrtes & brevia in hoc pelago vitanda, quis cursus aliquando tendens esset, tempestivè addisceret. Docebant jam tum etiam Jenæ privatim diversas Juris tam Romani quam Germanici partes Henricus Ernestus Flærkius, summi quondam Jurisconsulti Georgii illius Adami Struvii gener doctissimus, nec non Joannes Christianus Schröterus, Ernesti Friderici filius, deinceps in publicum Professorum Collegium cooptatus; quorum utpote magis familiarium, & cuivis accedenti ac consulenti facilius patentium ductu & institutione frui posse, in primis sibi utile ac profuturum præstantissimus SVM MERMANNVS noster existimabat, ac re- apse deprehendebat.

Dici non potest, Auditores, quantos progressus his adminiculis suffultus fecerit, quanta rerum utilissimarum copia & ubertate brevi tempore pectus suum inundaverit, quam variarum in Jure quæstionum ac controversiarum notitiam, easque simul expediendi, aut alia etiam sibi invicem obstatre & contradicere visa conciliandi facultatem paulatim haurire ceperit.

Nondum ardens illa sitis ut plura cognoscendi,
ita alias quoque Academias perlustrandi in novello hoc
Juris

Juris sacerdote sedata erat. Paulo ante *Halæ Saxonum* nova optimarum artium & disciplinarum officina à Brandenburgico Salomone, Friderico, erecta fuerat, vocatis eò undecunque præcipuis ferè in quilibet scientia Viris, quos alibi vel pietas quædam singularis simulque ingeniorum præstantia, vel laudabilis eminenti libido cirratis doctribus invisos reddiderat, aut sine causa suspectos. Inclaruerat ibi tum temporis præcipue *Christianus Thomasius*, Jacobi, viri ad unguem facti, filius, non solum Jurisprudentiâ, sed etiam omnium pene scientiarum genere & fruge refertus, ac simul Socrates quidam Germanicus. Eminebat ibidem summæ eruditioñis & gravitatis Jurisconsultus, ac redi- vivus quidam Papinianus, *Samuel ille Stryckius*, dignissimus Joanne Brunnemann, religioso Jurisconsulto, gener, huc tandem ex Viadrina Academia translatus, cuius domus Dodonam quandam aut Delphos, unde à longe dissipatis trans maria etiam ac terras quædam velut Oracula petebantur, repræsentabat. Excellebat ibidem, ac singulari perspicue docendi dexteritate pollebat *Joannes Franciscus Buddeus*, insignis deinceps Jenensium Theologus, tunc vero Halæ Saxonum præter alias scientias etiam Jus Naturæ enodare solitus. His itaque summis artificibus, quibus majores ac magis idoneos nusquam invenire, aut etiam spe sua votisque concipere potuisset, se penitus ille exasciandum præbere; horum auxilio, si quid asperum incultumque in animo residebat, magis magisque levigandum & poliendum curare; his ducibus denique, velut *Helice quadam aut Cynosura*, fulgentissimis nempe fide-
ribus,

ribus, in cōficiendo hoc longinquo per vastum Juris Oceanum itinere diligenter uti.

Satis jam, satis amplam, Auditores, sibi theoreticæ, ut appellant, eruditionis supellec̄tilem collegisse videbatur SVMMERMANNVS noster, & constipatas in tot scientiarum Emporiis merces juridicas. Eas vero cum suo aliorumque emolumento vicissim exponere posse, nec emptorem speciosis oculiferiis circulatorum more decipere; hoc est, ad praxin, ut loquuntur, & publicam utilitatem omnia convertendi dexteritatem haurire, jam altera non levior cura incumbebat. Rectâ igitur *Wetzlariam* iter suum directit, ut in hoc supremo Juris Justitiæque foro sibi usum & facultatem omnia, quæ hactenus tanta aviditate in diversis Scientiarum officinis imbiberat, iterum commode dextreque, si occasio tempusque paterentur, expromendi compararet. Hic Scævolarum & Serviorum, hic Alfenorum, Labeonum, & Ulpianorum Responsa se quotidie audire & intelligere sibi videbatur; hic quidem non Manliana quædam edita, aut Medorum & Persarum leges cum abrupto rigore, & nonnulla atrocitate saepe coniunctas, sed Oracula tam summagæ æquitatem, sanctimoniam, & religio nem pra se ferentia, & difficillimis quibusque tricis, ex sapientissimo divi Maximiliani primi Imperatoris consilio, sua certitudine & valore finem modumque statuentia, identidem sibi narrari gestiebat; hic ea quotidie legebat, publicæque luci recens exposita cognoscere festinabat, quæ in suum aliquando usum convertenda

tenda velut Palladium aliquod, aut Ancilia cœlitus de-
lapsa venerabatur.

Accedebat peculiaris quædam felicitas, quæ præ-
stantissimo & in flore ætatis tum versanti SVMMER-
MANNO nostro, cum in ea Urbe, tot Paulorum,
Scævolarum, & Papinianorum domicilio, commora-
retur, contingebat, ut illustri & excellentissimo Viro,
tum similiter Juveni & ibidem subsistenti, *Ludovico Ot-
toni*, *Nobili Domino de Plotto*, tot avitarum imagi-
num & cerarum multitudine fulgenti, & non solum
ob ultimam generis vetustatem, sed ob mirificum et-
iam omnia cognoscendi & perquirendi ardorem me-
morabili, ac postea in aula Sacrae Regiae Majestatis Bo-
russicae Administro Status intimo, commode innotesce-
ret, ejus etiam sibi benevolentiam singularem crebra
consuetudine, & summâ quorumvis officiorum testifi-
catione compararet. Huic ille cum insignem dexteritatem
suam atque diligentiam probasset, auctor ipsi
suit suasorque Vir iste generosissimus, ut suam de pu-
blico bene merendi cupiditatem, & acquisitam tot eru-
ditis itineribus doctrinæ copiam non extraneo cuidam
Principi, sed Domino suo legitimo, Brandenburgico
Heroi, consecraret, eumque in finem se *Duisburgum*
nostrum conferret, eo ipso tempore quadam Jus do-
centium penuria laborare visum, cum præter *Guiliel-
mum Crusium*, paulo post aliquoties memorandum,
incredibilis diligentia & doctrinæ Antecessorem, ac vi-
rum integerrimum *Joannem Mauritium Crellum*, nul-
lus esset, qui Juventuti tum valde copiose & ad hæc
Sacra anhelanti necessarias pluresque dapes instrueret.

Hoc

Hoc itaque consilio primâ vice in hanc Urbem celeberrimus Collega noster delatus est anno superioris seculi nonagesimo nono; utque tanto citius votorum suorum compos redderetur, hic tandem ultimam privatissimis studiis ac laboribus Academicis coronidem imponere voluit, scripta editaque dissertatione pereruditâ, & admoros, ut dicitur, unguis sapiente, *de paritate Religionis in augustissimo Cameræ Imperialis Judicio observandâ*, quam cùm Wetzlariensis Prytanei pauculo ante relicti veneratione adhuc plenus egregie publiceque ex more Veterum defendisset, ex hac ipfâ cathedrâ trigesimo mensis Martii, eodem, quem diximus, anno nonagesimo nono, utriusque Juris Doctor solemniter renunciatus est. Nec diu durabat, quin primum titulo Professoris Jus extra ordinem docentis coherestaretur, mox etiam eodem anno millesimo septingentesimo, quo celeberrimus *Crusius* obitu suo hanc Academiam contristaverat, in ejus locum Ordinariorum numero, cum annum ætatis vigesimum sextum ageret, infereretur.

Ab hoc itaque anno in hodiernum usque tempus ultra dimidium seculi per annos nempe quinquaginta duos publicus & consummatus utriusque Juris Interpres in hac Academia fulsit, nunc obito tam longo munere feliciter, et si non sine gravissimo dolore nostro defunctus. Videtis, Auditores, & facile etiam sine me monitore intelligitis, quantum commodi, quantum honoris, famæ denique & celebritatis quantum, non solum huic Academiæ, & Urbi universæ, sed toti simul regioni, imo tot tamque præclaris longe lateque cir-

circumjacentibus Provinciis ac tractibus attulerit, cum numerosam suam pubem huc ad tantum Doctorem, velut ad commune quoddam oraculum ex domestico suo tripode non solum responsa omnibus in re dubiâ consulentibus & sciscitantibus dare, sed Justinianis illis etiam novis, ut aliquando paria, aut non multo minora facerent, viam munire & indicare consuetum, cum summa alacritate & boni successus exspectatione ablegarent.

Priusquam vero de præclaris tanti Viri, tam grandævi Senis in hanc Academiam, atque adeo in seram quoque posteritatem meritis plura quædam verba faciamus, pauca de domesticis ejus rationibus non prætermittenda videntur. Postquam per quadriennium in administrando munere suo animadverterat, quam grave ac molestum sæpe esset, cælibem diu aut ad longinqua aliorum cœnacula non sine magno temporis dispendio discursare, aut œconomicis tricis implicari, animum adjecit ad rem uxoriæ. Nihil autem consultius, & è re sua magis fore credebat, quam uti conditione lectissimæ & omni Virtutum ac Gratiarum dotibus ornatisimæ Matronæ, *Idæ Sophie Nisiæ*, ab eodem celeberrimo quondam Antecessore suo *Guilielmo Crusio* relictæ Viduæ, non minus adhuc ætate, quam Majorum suorum & propinquorum genere ac dignitate florentis, *Caspari* videlicet *Henrici Nisi*, Jurisconsulti & in Bochumensi Satrapia Judicis integerrimi filiæ, *Henrici* vero *Nisi*, Viri excellentissimi, & Regimini Clivensi à sanctioribus Consiliis quondam constituti neptis, ut & per Matrem, sanctissimam foemina-

D nam,

nam, viri celeberrimi, totoque erudito orbe ob innumerabilia scripta limam redolentia decantati *Antonii Deusungii*, origine Meursensis, sed apud Harderovicensis primo, ac deinceps apud Groningenses publice in Academia tam Medicinam, quam propemodum omnes Philosophiae partes cum summa laude professi, post obitum etiam in *Hermannus Deusungius* filio & praeclarissimæ hujus *Nisiæ nostræ Cognato*, similiter tot variarum disciplinarum & studiorum monumentis celebrato, redivivi; ne de *Theodoro Nisio* in Gymnasio Hammonensi Jurisconsulto quondam celeberrimo quicquam addamus. Contigit hoc anno hujus seculi quarto, die quinto Decembris. Ex eo tam felici matrimonio duos insignes Jurisconsultus Noster reliquit Filios, non solum paternæ laudis atque eruditioñis ex aſſe heredes, & ambos unā cum praeclarissimo Parente suo per aliquot etiam annos in hac Academia Jus publicè non sine maximo honore professos, sed deinceps pro meritis ad summos honorum atque dignitatum apices, quos in hoc studiorum genere quisquam sperare aut optare possit, tanto cum omnium bonorum applausu, quanta cum Parentis lætitia evectos, Viros prænobilitissimos, scriptisque pariter ac factis, si nobis, quæ verissima sunt, sine modestiæ læsione profiteri licet, summam integratatem & in maximâ dignitate nativum candorem spirantibus sibi omnium veneracionem conciliantes, JOANNEM GVLIELMVM, & JOANNEM HENRICVM SVMMERMANNOS, illum in summo & imperiali Dicaſterio Wetzlariensi, magno illo Areopagitarum, aut potius gravissimorum seculi nostri Amphictyonum concilio,

Ad-

Adsefforem splendidissimum, hunc vero post gestos etiam prius in Aulâ Cassellanâ præcipuos honores, in Regimine Clivenſi Serenissimo ac Potentissimo Regi nostro ab interioribus Consiliis constitutum, commendante & suadente summo ſeculi nostri Cyneâ, magno illo Cancellario, illuſtrissimum COCCEJORVM no-men, extendendis ac colendis omnium tam ſacrarum quam Civilium ſcientiarum finibus jamdudum fatale, prorsus aeternum & immortale reddente, & ut omnia brevi veterum Romanorum formula complector, Regis Amico.

Tales tantosque procreasse Filios, eosque ab ipsis incunabulis omni virtutum & eruditionis generi adſueſcisse, eorundem perpetuam etiam in trifti ac ſolitario Viduitatis ſtatu gessiffe curam, nullis unquam, quæ à maxime ſollicito parente exspectari poſſunt, pepercifte vigiliis, nullis ſumptibus, quis non laudat? quis, inquam, non ex eo Genitorem agnoscit ſummis in cœlum laudibus jure meritoque evehendum? Uxorem enim tantopere commendatam, tot virtutibus, tot corporis animique dotibus ornatam, poſt diuturni morbi languores enaciatam amisit celeberrimus SVM-MERMANNVS anno hujus ſeculi decimo nono, die vigesimo quinto Novembris, ætatis ejus anno quinquagesimo primo, matrimonii vero decimo quinto. Ab hoc tempore in ſolitario vitæ ſtatu ſuorum amore conſenſcere, quam injustam, ut vetus adpellat poëta, novercam iisdem ſuperinducere maluit.

Quod porro ad publicos Viri defuncti labores attinget, non ſolum scriptis, institutione domesticâ, &

D 2

verē

verè concatenatis laboribus tempus suum utiliter trans-
egit, & studioræ Juventutis commoda pro virili auge-
re ac promovere perpetuo connisus est, adeo ut fer-
reæ cujusdam indolis esse videretur, sicut de Origine
dictitari inter Veteres, de Caspero Barthio inter recen-
tiores solet, sed crebro præter munera sui partes et-
iam in aliis rebus ad ulteriorem splendorem & emolu-
mentum spectantibus Academiæ prodeesse studuit.
Hinc duplex illud iter totius Collegii nostri nomine
Berolinum ad regiam aulam suscepsum profluxit, pri-
mò, cum anno hujus seculi decimo clarissimum *Ra-*
bium, eò jam profectum sequeretur, & præter alia
bona etiam non pœnitendam tam sibi, quam simul
omnibus Collegiis annuorum redditum acquireret ac-
cessionem, posteris ac successoribus in perpetuum re-
linquendam, deinde vero anno ejusdem seculi tertio
& decimo, ut post obitum Friderici I. Serenissimi Bo-
russorum Regis funebri pompæ cum altero Collega
Academiæ nomine legatus interesset. Magnificos hu-
jus Sacrarii Fasces sexies gessit, Decanatum vero sua
Facultatis tot vicibus, ut ejusmodi honorum numerus
difficulter in his, quarum cancellis includimur, tempo-
ris angustiis iniri possit. Visitationibus Academicis
crebro non solum interfuit, sed illustres etiam Curato-
res plerumque, instructo splendido convivali apparatu,
tam ob dignitatem personæ, quam domicilii laxitatem,
suppedante, sicut oportebat, Academiâ sumptus,
excepit. Ac ut notabilius quiddam adjiciam, Caro-
lum III. Hispaniarum Regem, ac postea Sextum hu-
jus nominis Imperatorem Augustum, anno hujus se-
culi tertio, die decimo quarto Octobris unà cum cete-
ris

ris ac præcipue cum *Henrico Christiano Henninio*, celeberrimo, post interjectum doctissimum *Mascam-pium*, prædecessore nostro, salutatum ivit, forte tunc temporis, ut in Hispaniam se conferret, hanc urbem transeuntem, eamque nocturnâ mansione dignantem, quod eum mihi sæpe commemorasse memini. Eodem *Henninio*, cum jam ipsa eloquentia obmutesceret, summâ cum pietate ultimum parentationis officium præstítit.

Scriptorum vero ipsius ac dissertationum monumenta ob elegantiam & utilitatem perpetuo duratura exstant non pauca, præter ea quorum jam mentionem fecimus; in quibus eminent *Ngwta*, seu pars prima Pandectarum, Commentarius sane multâ fruge & his quoque in primis regionibus sæpe profuturâ refertus, Amstelodami, sicut titulus præfert, anno hujus seculi decimo septimo editus, & ab Actorum Lipsiensium Concinnatoribus merita sane laude eodem anno publice maestatus. Extant & alia five Opuscula five Dissertationes, quales sunt nempe de *Injuriarum & famosi Libelli vera indole & effectu*; nec non de veris matrimonium dirimentibus causis; porro de *Præsen-tia Regia*; ut & de vera ac genuina *Jurisdictionis Municipalis indole*, quarum priores duæ anno hujus seculi tertio, posterior autem vigesimo secundo hic Duisburgi lucem adspexit. Nec prætereunda videtur controversia, non illa quidem hostilis & gladiatorio animo, sicut cerebrosis mirmillonibus, aut tunicatæ plebis agitata, sed acris tamen & fatis dentatis chartis exercita, cum *Joanne Merckero* sacrorum oraculo-

rum apud Assindenses Interprete ei nata. Vir ille non indoctus quidem, sed ut falcem in alienam s^epe messem injiciens, ita nimis rigidus aliorum censor, ejusmodi somniis, quæ nunquam in actum deduci possunt, semet oblectabat, aliis verò negotium facessebat. In primis ingentes controversiæ cum toto Senatu Assindensi agitatae, & sub nomine *Actorum Essendienium* Mulhemii ad Rhenum publicæ luci expositæ illud confirmant. Idem paulo ante toti propemodum Jurisprudentiæ ejusque methodo in causis forensibus usitatæ dicam scripserat, adeo ut has ipsas fere totas abolendas, & ex usu generis humani exterminandas censere videatur. Sui itaque officii creditit esse praecellentissimus Jurisconsultus noster, austero huic & minus perito rerum censori non modò *Dissertationem pro defensione Causarum forensium* opponere, ad quam in hoc Acroaterio ventilandam ipse Merckerus Assindio invitatus se revera hic præsentem stitit, & sua argumenta publice produxit, sed integrum deinceps quoque *Librum vernaculo sermone conscriptum* hic Duisburgi anno hujus seculi quarto in lucem edere.

Tot igitur tantisque laboribus Academicis feliciter expediendis, tantæ tamque immensæ *Actorum* privatorum ac publicorum moli perlustrandæ, excutiendæ, dijudicandæ quo pacto hic Vir per dimidium seculi & ultra sine detrimento valetudinis suffecerit, nec onus Ætna gravius sibi incumbere senserit, nonne, Auditores, mirandum est? Quid enim? vobis in memoriam non revocem, huic uni jam ante biennium contigisse, quod paucissimis mortalium alibi, in hac vero Academia

mia

mia hactenus nulli concessum, ut Jubileum, hoc est, quinquagesimum muneric sui in hoc Athenæo tam feliciter administrati annum sanus valensque, nobis omnibus lætis ac gratulantibus, celebraret? cuius tantæ felicitatis memoriam ego tunc ipsem in Relationibus quavis hebdomade hic Duisburgi in primi edique soliti non immerito conservandam esse statui, adductis etiam aliis similium virorum exemplis oppidò paucis ac notatu dignissimis. Ab hoc tempore adhuc per biennium vixit senex clarissimus, viribus quidem minime prostratis, sed tamen ante annum fere paulatim languentibus & imminutis, dum pedum infirmitate magis laborare, & sensim ut ingressu, ita quoque voce debilior fieri videbatur, donec præterito die Jovis, ultimo & letali malo, catarrho corriperetur, cuius tanta fuit vehementia, ut ante quatriuum, quinto die Februarii, hora matutina quinta tandem naturæ debitum solvere cogeretur, semper mentis compos, teste, quem media nocte advocandum curaverat, Viro plurimum reverendo, moribundi Senis animam ex luteo ergastulo suo jamjam prorupturam ardentibus suspiriis & precibus Christo Liberatori commendante; nec ullo indicio inquieti pectoris aut animi perturbati edito. Constitutione corporis fuit robusta, ut præstantissimi Medici Collegæ nostri, quo usus fuit, verbis utar, unde raro morbis laboravit, nisi quod saepius vehementissimâ colicâ afficeretur. Duobus autem ultimis vitae suæ annis, licet sanus, debilior tamen fuit, sed paucis ante mortem diebus catarrho laboravit, cui accessit die quarto Februarii vehementissimus singultus, quod symptomata in morbis acutis magnum sape malum prænunciare solet,

let, quod & hic factum; nam vespertino tempore ejusdem diei subito Catarrho suffocativo correptus est clarissimus Senex tantâ vehementiâ, ut die Saturni, sive quinto Februarii, horâ, ut diximus, matutinâ quintâ, vi morbi oppressus è Vita discederet, vir sane omnium posteriorum memoria dignissimus.

Ad indolem ejus vitæque rationem quod attinet, in loquendo erat plerumque tardus ac circumspectus, ut non facile, sicut dicitur, lineas transiliret, debitum cuivis honorem prolixe contestans, nec minus libenter exhibens, sui etiam, ut oportet & hominem sapientem decet, minimè negligens, Academicæ vero publicæque dignitatis cum omnium nostrûm commodo singularis assertor defensorque strenuus; quæ vera gloria radices agit, & à posteris etiam commemoratur velut perpetua prædicatione digna; cum ficta omnis celeriter exarescat, & momentanei assentatorum plausus tanquam flosculi decident. Suo saepe exemplo comprobabat, quam pulcrum & decorum esset, non perturbari, aut vanâ formidine circumagi, nec tumultuantem de gradu dejici. Luxum qualemcumque per omnem vitam cane pejus & angue vitare vîsus est. Compotationibus etiam & conviviis, si quæ instituerentur, vel raro, vel postremo per magnum vitæ spatiū nunquam interfuit; nec crebro in publico conspectus est; cum animus sibi sufficiens, & jam quavis æmulatione major tanquam emeritis stipendiis omnium cupiditatum secum esset, secumque viveret, paucis viis, paucioribus etiam, quorum me partem aliquam fuisse lator, postremo vitæ tempore admissis, nec quicquam

quam præter solam muneric & personæ dignitatem inter concatenatos & nunquam nisi brevissimo ante mortem tempore remissos labores curaret, sibi in solitudine soli relictus, omnibusque aliis venerabilis, ut mirum non sit, Virum maximam ætatis suæ partem, quæ plerisque tanquam fabula peragit, ita consumentem nequaquam in extremo vitæ actu, inexercitatorum histrionum more, corruisse, eademque illum constantia, eodem tenore, quo vixerat, cum annum ætatis septuagesimum nonum jamjam inchoaturus esset, decessisse.

Talem tamque insignem per tam multos annos in hac Academia habuimus Antecessorem, talem omnissimus Collegam, tali lumine, Auditores, orbati sumus, cuius gloriam & honorem pauci adæquare, felicitatem vero in omni vitæ genere, tum corporis animique firmitatem pauciores omnino sperare, paucissimi denique adipisci queunt; quæ tamen eadem ut omnibus bona fide contingant, optare & ex animo vovere debemus; nec ita facere ob mutuum humanitatis & benevolentiae vinculum, quo animi mortalium conglutinati tenentur, unquam, si pii erimus, desistemus. Inter eorundem verò aut similiū laborum socios pari laude ad immortalitatem tendentes ut id fiat, quanto majoris est æquitatis? Faxit modò divinum Numen, ut hac jacturâ castigati, quantum in tanto Sene lumen habuerimus, grati agnoscamus, eaque pietate nostra citius, ut ejusmodi damnum aliquo modo farciatur, ipsa hac calamitate, quam passi sumus, cœlestem clementiam & bonitatem ad ferendas nobis suppetias incitante, mereamur.

E

Menti

Menti s^epe nocens prosperitas potest
Dici longa, meri cui sine nubibus
Portentosa nimis letitiae dies
Vectigalia porrigunt.

Æstatis mediæ si populos calor
Pulsis immodicus torret Etesiis,
Tabescunt homines, ægraque languido
Marcent lilia stipite:

Balant triste greges & pecudes agris;
Ipsum demta solet squamigerum genus
Siccatis penitus fluminibus, licet
Mutum, gaudia conqueri.

Quis nescit Samii tristia Reguli
Olim fata, quibus Rex stupuit Phari,
Fortunæ nimium credita lenibus
Ortum ducere flatibus?

Quid curas igitur mentibus additas
Lascivis toties, & nimis asperum
Flemus s^epe malum Threicid chely?
Quid tristes hominum vices?

Adversis humiles erigimur. nisi
Addant temperiem dulcibus acria,
Bilem contrahimus, nec saturum novus
Pervellit stomachum sapor.

Sis

*Sic est: vana sumus turba: fluentibus
Ex voto nimium rebus, amabili
Marcentes animi luxuriant bono,
Et quiddam vitii trahunt.*

*Spirantis Zephyri turgida prospero
Donec vela timent flamine, remiges
Et nautæ variis non sine jurgiis
Indulgent petulantiae.*

*At cum triste minans dissilientibus
Æther intonat nubibus, ad preces
Decurrunt miseri, votaque protinus
Placandis faciunt Diis.*

*Dum sub vite sedent, subque juvantibus
Siccant Ifacidæ pocula sicubus,
Stulti monstra colunt, & vetitis suos
Infamant choreis avos.*

*Mox cum ludibrium gentibus accolis
Se debere vident & populis, quibus
Euphrates bibitur, quicquid & annuum
Antiquus coluit Syrus,*

*Jam demum capiant, quale peregerint
Exundante leves undique Copia
Tempus: pace data divite, qualibus
Maestati fuerint bonis.*

CATONI

E 2

Quare

*Quare fœmineis Cælicolas nimis
Quid sœvos querimur gens ululatibus,
Clades luſtificas criminibus merens,
Et forsitan magis asperas?*

*Nostro magna choro vulnera sensimus
A Dis facta quidem: vulnera, quæ die
Vix longo coēant, vix hominum gravi
Curentur penitus manu.*

*Mens sed grata parum, nec superum memor
Sic plectenda fuit, reddere pro sacro
Cæli deposito quolibet ut pias
Laudes disceret Ætheri.*

*Orandum tamen est Numen, ut addit
Tam diri saniem mitiget ulceris
Fomento, minuat Vindicis & novi,
Hanc plagam relevans, ope.*

D I X I.



NOTÆ



N O T A E

AD PRÆCEDENTEM ORATIONEM.

Pag. 5. lin. 6. *Cur geminus Caſtor &c.* Memorabile est tantam utriusque fratriſ Caſtoris atque Pollucis tam corporum quam animorum similitudinem Veteribus fuisse viſam, tantamque concordiam, ut alter etiam alterius nomine simul indicaretur, & ſic *geminus Caſtor*, nec non *geminus Pollux* diceretur, cum non unus aliquis eorum, ſed ambo intelligendi eſſent. Rutilius Numatian. Itiner. Lib. I. V. 155. *Pande precor gemino placatum Caſtore pontum;* id eſt, utroque fratre simul Caſtore atque Polluce. Horat. Lib. III. Od. 29. in fine: *Tutum per Ἰ̄ḡēos tumultus Aura ferat, geminque Pollux;* id eſt iterum, frater uterque Caſtor & Pollux; eorum enim ſi alba ſtella simul refuſiſſet, ventos conēdere, & proſperam navigationem oriſi ſperaſerat, ut idem Poëta Oda XII. Libri primi teſtatur. Eadem quoque ratio eſt, *cur Caſtores πλυντυναὶ dicatur*, ut ſub eadem appellatione simul Pollux comprehenđatur. Æthicus in Cosmogr. pag. 716. Edit. Gronov. de Tiberi loquens: *Insulam facit inter portum urbis & Ostiam civitatem: ubi populus Romanus cum arbis præfecto vel conſule, Caſtorum celebrandorum caſa, egreditur ſolennitate jucunda.* Et ſic Plinius, Arnobius pluresque loquuntur, quorum loca ab aliis jam obſervata fuerunt. Confer. Theod. Sitzmannum ad Rutil. Itiner. Lib. I. V. 155. aliosque, ſi voluſe eſt.

Pag. 10. lin. ult. *Gerhardo illi Maſtrichtio, & mox pag. 11. lin. 2. Petro Maſtrichtio &c.* Ea que de duobus his Fratribus, hoc Theologo, illo autem Jurisconsuſto dixi-
mus, ita capienda ſunt, videlicet eos in eodem munere Pro-

E 3 fessorio



fessorio tam diuturnum quinquaginta annorum spatium non consumpsisse. Alioquin cum uterque ad extremam senectutem pervenerit, hinc satis constat, eos etiam plures annos in publicis muneribus transegisse quam quinquaginta, quæ tamen diversi generis, diversisque in locis ab iis administrata fuerunt; à Petro nempe *Mastrichtio* Santenæ, Tychopoli, Francofurti ad Oderam, heic Duisburgi ad Rhenum, ac postremo Ultrajecti, à Fratre autem ejus *Gerardo* in hac primo Academiâ, ubi jam anno cIɔ Iɔc LXIX Historiam atque Eloquentiam, ac mox Jus publice docere cœpit, & deinceps in Republicâ Bremensi, ubi anno cIɔ Iɔc xxii. ad diem IX. Kal. Febr. octogesimum secundum ætatis annum ingressus decepsit, testante Cl. Theodoro Hafæo in Bibl. Brem. Clasf. IV. Fasc. VI. pag. 1091. nec non eruditissimis Viris Henrico Ikenio, & Hermanno Postio in Bremâ Literat. pag. 87. De Petro vero *Mastrichtio* consulendus est Henricus Pontanus in Laudatione Funebri ejus honori factâ, & anno cIɔ Iɔc vi. Roterodami in lucem editâ, & inde quoque narrationis sue momenta præcipua mutuatus Vir doctissimus ac celeberrimus Joh. Christoph. Beermannus in Notitiâ Universitatis Francof. pag. 174. &c.

Pag. 13. lin. 6. Quæ tot aliis postremæ humanitatis officia &c. præstitissimæ; tribus nempe in hac Academia quondam celeribus Theologis, *Joanni Christiano Loersio*, *Guilielmo Neubusio*, *Christophoro Rabio*, duobus Medicis *Gottlieb Ephraim Bernero*, & *Joanni Arnaldo Timmermanno*, Jurisconsulto vero præter hunc Clar. SVMMERMAN-NVM nostrum uni *Joanni Arnaldo Rulando*, quique primo mihi loco propter magnitudinem personæ merito nominandus fuisset, serenissimo quondam ac potentissimo Borussiae Regi, *Friderico Guilielmo*, nec non illustrissimo Viro, ejusdem Status Regii Administristro *Marquardo Ludovico Prinzenio*, in quos omnes Orationes funebres, aut Panegyrici sermones à nobis habitu hic publicis typis exscripti reperiuntur, in posteriorem etiam edita quondam Oratio deinceps Berolini cum aliis ejusdem generis Opusculis recusa est.

Hæc

Hæc propterea à nobis, eumque in finem, non alium, commemorantur, ut constet, unde uberior hujus Academiæ & ejus Actorum historia aliquando petenda sit. Is enim præcipius ex mea quidem sententia horum actuum ac similiūm solennitatum usus est, etiam posteritati præcedentium rerum curiosæ profuturus, & luculentiorem aliquam materiam, si eam necessitas aut occasio requireret, suppeditaturus. De aliis lætioribus Panegyricis Orationibus, aut aliquam Eruditionis, Historiæ, Antiquitatis vel Philologiæ partem tractantibus, quia ad hunc censum non pertinent, filemus; quamquam & harum nonnullæ ad res Academicas nonnihil illustrandas sæpenumero faciunt.

Pag. 17. lin. 13. anno superioris seculi septuagesimo quarto; &c. Ne aliquis, qui Miscellanea Duisburgensis brevem ac compendiosam Professorum hujus Academiæ tunc florentium historiam in prioris Voluminis fasciculo primo pag. 121. & sequentibus complexa inspexerit, videritque defuncto SVMMERMANNO tunc adhuc viventi annum à Christo nato millesimum sexcentesimum septuagesimum octavum velut natalem ibi pag. 129. assignari, propterea erroris aut negligentiae nos arguat, is sciat, nobis post sedulam inquisitionem, certaque indicia rei narratæ deprehensa manifeste constitisse, illic errorem esse commissum, ac SVMMERMANVM ad minimum quadriennio prius, ut in ipsa Oratione docuimus, in dias luminis auras prodississe. Certe etiam biennio ferè majorem Guilielmo Neuhausio jam supra ob aliam causam mémorato nostrum fuisse beatum SVMMERMANVM, ex illius Uxore, matronâ lectissima, hujus Cognatâ, me saepius intellexisse recordor. Jam vero celeerrimum Neuhausium superioris seculi anno septuagesimo quinto, pridie Iduum Aprilis in lucem editum fuisse, indubitatò constat. Cetera nobis aliunde innotuerunt.

Ibidem 17. lin. 23. nobilissimæ in hoc trætu Putterianæ familie, &c. Ea maxime ex Otiis Parergis Viri doctissimi

simi Guilielmi Neuhusii, quondam in Gymnasio Hammensi ac deinceps in hac Academia Professoris celeberrimi cognosci potest, qui ex eadem quoque prognatam habuit uxorem, ac proinde Cl. SVMMERMANNO nostro propinquitatis olim vinculo connexam. Vide Libri citati p. 567. & seq.

Ibidem lin. 28. *Joannem Thomam Summermannum, &c.* Hujus Viri dignitates & fortunam ex ejusdem Neuhusii Otiis parergis, pag. 566. addidicimus; qui etiam alibi defuncti SVMMERMANNI nostri, & duorum Filiorum ejus, nunc illustrium Virorum, meritissimas laudes ingenuè & suo more, id est, ultro libenterque prædicat. Idem in hac quoque Academiâ summis in utroque Jure honoribus condecoratus est. Cumque, ut ex Albo Candidatorum Juris perspexi, octavo fere ante hujus Collegæ nostri, Fratris sui, inscriptionem anno, in eo nomen sub Decano Joh. Mauricio Crellio, die nempe X. Novembris Anni cIɔ Iɔc xci apposuerit, inde appetet natu majorem fuisse.

Pag. 21. lin. 16. *buc tandem ex Viadrina Academia, &c.* Scilicet postquam prius magnus hic Stryckius per triennium Wittebergæ publicè Jurisprudentiam docuerat eō à Joanne Georgio III. Serenissimo Saxoniæ Electore, Francofurto vocatus. Memorato vero triennio istic exacto tum demum Halam mandato Friderici, Brandenburgici Electoris, ac postea primi Borussiæ Regis, in novam Academiam discessit, ut docet Joannes Christoph. Beermannus in Notit. Univers. Francof. pag. 225. Nobis enim in ipsa Oratione, quam repræsentamus, ut habita fuit publice, placuit esse brevioribus.

Pag. 25. lin. 23. *Antecessore suo Guilielmo Crusio.* De eo consulendus est vir multa eruditione simul & nitore sermonis merito commemorandus Henricus Christianus Hennius, publicus olim in hac Academia tam Medicarum quam Humaniorum disciplinarum Doctor egregius, in Oratione funebri *Crusianæ* memoriae ab eo habita, & heic Duisburgi

gi circa finem præcedentis seculi, anno nimurum c^o I^occ typis exscripta.

Pag. 26. lin. 26. *Antonii Deusungii, origine Meursensis.*
&c. De Vita, fatis, scriptisque ac meritis hujus Viri viden-
dus est Auctor Libri, cuius titulus est, *Efigies & Vitæ Pro-
fessorum Academiæ Groningæ & Omlanthe*, pag. 213. & se-
quentib. ubi etiam pag. 218. *Henrici Nisi*, quem Clar.
SVMMERMANNI Uxor lectissima Avum habuit, nec
non honoratissimæ Kumpfthoffiorum familiæ eidem per affini-
tatem junctæ fit mentio, *Ludolphi quoque Oosterwickii*, stir-
pe patriciâ non minus & antiquâ, quam virtute propriâ con-
spicui, publicis etiam in Ducatu Clivensi muneribus, & Le-
gationibus honestati, unde præter alias laudes etiam non
exigua commoda in ornatissimam hanc *Nisiam*, SVMMER-
MANNI Conjugem, ejusque primo parentes, deinde & in
ipsius progeniem manasse didicimus. De *Hermanno vero*
Deusungio, Antonii filio, parenti suo etiam multitudine scri-
ptorum & πολυμαθία, tum nominis celebritate comparan-
do, videatur Biblioth. Brem. Class. V. Fasc. V. pag. 925. ubi
in Notis quoque adjectis similiter de Patre *Antonio Deusun-*
gio agitur.

Ibidem lin. 10. ne de *Theodoro Niso in Gymnasio Ham-*
monensi, &c. Hunc etiam ejusdem sive familiæ, sive, ut
verisimilius videtur, gentis fuisse, ab iis, qui se rem eam
perspectam cognitamque habere adfirmabant, scrupulo ex-
emto mihi persuaderi passus sum. Erat is ceteroquin nativi-
tate Tremoniensis, & in Athenæo Hammonensi utriusque
Juris ac Politices Professor meritissimus ac celeberrimus, an-
no superioris seculi octogesimo primo jam defunctus, cu-
jus memoriam Philippus Joannes Tilemannus dictus
Schenck, tum in eodem Lyceo, uti postea in Marpur-
gensî Academiâ, Theologiam publice professus, posteri-
tati commendavit, Oratione in ejus Obitum conscripta &
ibidem editâ.

Pag. 28. lin. 20. *Decanatum vero suæ Facultatis tot vi-*
cibus, &c. Ipsam Orationem quoniam, sicut habita fuit,
F lectori



lectori repræsentare maluimus, idcirco nihil in illa mutare placuit. Postquam vero deinceps paulo accuratius hanc quoque rem inquisivimus, patuit, Cl. SUMMERMAN-NVM nostrum decies & octies in Facultate suâ honore Decanatus functum fuisse, Prodecani quoque, ut appellant, vices ter gefisse, omni autem illo tempore ingentem Candi-datorum numerum summis in Jure honoribus post confusa profectuum pericula ex Academico more facta condecorasse, quorum per varias Germaniae regiones deinceps dispersonum multi jam ante ipsum Doctorem suum diem supremum obierunt, non pauci etiam hodieque supersunt, & tanti Viri dexteritatem, doctrinam ac in docendo perspicuitatem, præfertim si quæ ad usum forensem spectarent, non sine gratâ commemoratione agnoscent, nonnulli etiam summis dignitatibus vel in cathedrâ Academicâ, vel in aulis Principum inter purpuratos fulgent.

Pag. 29. lin. 10. *Scriptorum vero ipsius ac dissertationum monumenta.* Præter ea, quæ jam recensuimus, etiam deinceps nobis sequentia innotuerunt. *Disputatio Juridica duplex exhibens vera Jurisprudentiæ præcognita.* Duisb. 1705. *Disputatio Paradoxa de Mero Magistratum Romanorum Imperio, & de illius atque Jurisdictionis Romanæ usu in Foris Germaniæ, potissimum vero in Camerâ Imperiali.* Duisb. 1712. *Dissertatio Juridica exhibens Dissentanea Cautionum & veram feriarum, diversorumque temporum indolem.* Duisb. 1714. *Praxis Juris Romani in Foris Germaniæ circa principium Judiciorum de in Jus vocando.* Duisb. 1714. 4to. Porro *De vera ac genuina Jurisdictionis Cameralis Indole.* Item, *De officio Magistratum & illorum, quibus mandatur Jurisdictionis.* Ut & *Facies genuina Juris personarum & rerum.* Præterea *De Necessitate atque Utilitate Jurisprudentiæ in vita humana contra inique eam traducentes asserta;* postremo *De Validitate Actuum contra leges celebratorum.* De scriptis eristicis mox dicemus.

Pag. 30. lin. 17. *ipse Merckerus Assindio invitatus.* Vir ille pietatis, & religiosi fervoris laude non videtur esse pri-vandus,

vandus, et si hic interdum parum consultus & nimis etiam austerus jure meritoque censeri queat, cui singularia quædam dogmata accedebant partim falsa, partim intempestiva, & plebi indecenter ex publico etiam suggestu inculcari solita, de Potestate civilium Magistratum circa Sacra, de Potestate docendi absque prævia legitima Vocatione per homines facta, de Sabbato ejusque jure, de studiis philosophicis juridicisque, & quæ erant hujus similisque generis plura. In primis omni virium & nervorum contentione quorumvis conviviorum, quæ odioso comessationum vel compotationum nomine traducebat, tum omnium, ut certe videbatur, Causarum forensium ac litigiorum plenam abrogationem semel, ut dicitur, & in perpetuum factam urgebat, ipsosque Magistratus tam de iniuitate quam impossibilitate posterioris hujus postulati præcipue conquerentes velut refractarios aut certe tergiversantes arcere Sacris non dubitabat. Natum hinc gravissimum incendium post frustra tentataam sæpen numero concordiam, responsaque Juridica & Theologica ex variis Academiis & Diesterius incassum petita, non aliter quam ex auctorato ipso harum turbarum auctore sopiri potuit. Omnia hæc latius intelligi funditusque cognosci possunt ex ampio volumine, quod *Actorum Essendienstum* nomine Magistratus illius urbis Mulhemii ad Rhenum anno hujus seculi sexto typis exscribendum ac in lucem edendum curavit. Hujus tanti incendii scintillæ etiam Duisburgum disperse erant. Nata enim hinc defuncto Clar. SVMMERMANNO nostro controversia cum Rev. Merckero primum dissertatione Academica, præsente & argumenta opponente ipso Adversario, agitata, deinceps ulterius discussa hoc libro vernacula lingua conscripto, & typis Sassenianis in lucem edito: *Anweisung des Ungrunds und Unfugs in der vermeinten Rettung der kurzen und einfältigen Justiz, welche H. Johannes Mercker in Essen ausgegeben; in einem an denselben abgelassenen Schreiben vorgestellet.* Duisburg 1704. in 8vo.

Ibid. lin. 23. tantæ tamque immensæ *Actorum moli &c.*
Hanc in primis laudem defunctus Cl. SVMMERMANN
F 2 NVS



NVS meruit retulitque, quod non solum variis ingenii & doctrinæ monumentis inclarerit, domesticæ etiam studiosæ Juventutis institutioni ita sine ulla remissione constanter & pertinacissime incubuerit, ut se nullo unquam colore & prætextu inde abstrahi, nulla intercedepine retardari, nullo ne honestæ quidem licetæque recreationis titulo abripi siverit, sed etiam tantæ, tam singularis & inusitatæ in perlustrandis & expediendis omnis generis & gravissimi momenti Actis, sicut vulgo loquuntur, & jam Juvenalis ea vocavit, dexteritatis exstiterit, ut ferrei plane corporis & invictæ naturæ esse videretur. Nec dubito, quin plurima notatu dignissima Viri merita hinc commemorari possent, si temporis & rerum circumstantiae paterentur, ut omnia diligentius perquiri possent. Sed nobis inter tot tantosque labores alios, tum ceterorum occupationes aut remoras suffecerit, rem ipsam hoc tempore breviter attigisse, & quam nihil pervulgato Oratum more loquuti simus ostendisse.

Pag. 34. lin. 13. *Quis nescit Samii tristia Reguli &c.*
 Ut tandem incomtæ Orationis & notarum tumultuario labore adjectarum perlustrationem aliqua mercede velut in gratiarum actionem Lectori compensemus, amoeniore quadam coronide, si fieri potest, ut consuevimus, præsenti Opusculo finem imponemus. Verbis ipsis paulo ante citatis nos ad Polycratis, vetustissimi illius Samiorum sive Reguli, sive Tyranni, nimiâ felicitate suâ tandem in exitium dati misereque ab hoste interfecti historiam allusisse, satis unicuique patere existimo. Egit de eodem OVIDIUS NASO in eruditissimo suo, sed ob vetustissimas historias fabulasque ex ultimâ mythologâ depromptas obscurissimo, ac propterea saepe depravato illo Opusculo, cui à ficto adversarii nomine titulus est IBIS. Sed is hodie illic nullus reperitur. Dici enim credique ab inexpertis nullo modo satis potest, quam multa tetterim & desperate, ut in ceteris quoque elegantissimi illius Poëtæ Operibus omnibus, corrupta sint, quibus post longas & saepe iteratas meditationes adhibita in subsidium tot Variantium Lectionum undique constipatarum farragine, plenam integrumque

gramque medicinam (præfiscini dixerim) sine omni temeritate attulimus. Paucis hic iterum exemplis ex incredibili multitudine, ut saepius alibi jam fecimus, rem docturi sumus. Locus OVIDII NASONIS in Ibide hic est V. 291. & seq.

*Vel tua matureret, sicut Minoëa fata,
Per caput infusæ fervidus humor aquæ.
Utque parum miti, sed non impune Prometheus
Aërias volucres sanguine fixus alas.
Aut velut Etracides, magno ter ab Hercule quintus,
Cæsus in immensum projiciare fretum.*

Plura nonnulla ob majorem perspicuitatem & nexus sermonis adjecimus. Alterum vero distichon miserrimè corruptum & depravatum, ut multa in hoc Opusculo alia similiter à nobis restituta, sed nunc prætereunda. Nam primo exemplum Promethei infra V. 545. his verbis occurrit *Fixus & in duris carparis viscera faxis, Ut cui Pyrrha sui filia fratris erat.* Ubi Prometheus, Epimethei frater, pater Deucalionis, & Pyrrhae patruus ita designatur, ut nulla dubitatio aut corruptionis suspicio possit oriri. Impossibile igitur est, ut Ovidius idem exemplum Promethei hic jam adhibuerit. Nam quod Astyanax etiam bis V. 489. & 566. designatur, id iure factum, cum votum sive imprecationis malo plane sit utrobius diversa. Accedunt deinde multa alia in verbis his ipsis ingens loci ulcus indicantia. Non enim Prometheus à multis volucribus, sed ab unâ aquilâ vel vulture laceratus est, nec sanguine pavit eum, sed visceribus identidem renascentibus. Porro quid volunt verba non impune vel de Prometheo, vel de Ibide? An Jupiter ob latam de Prometheo sententiam ultiōnem sensit, aut punitus est? Nam ad Ibin ipsum referri nequit, nisi insulfissime & contra totam de hoc inimico homine Nasonis sententiam. Vides omnia esse inepta & deplorata; unde mirandum est, Nicolatum Heinsum in merâ hac caligine tamen *miti ausum esse refingere & edere pro mitis*, ut in omnibus MSS. & ceteris Editionibus legitur. Et quam contortè ac coactè *miti sanguine* vult construi, confusa comparatione cum imprecationis verbis! Te-

meraria hæc non minus quam vana conamina sunt in rebus
plane ignotis, & locis minimè intellectis. Et tamen Clar.
Burmannus hoc sequutus est. Idem Heinlius etiam legebat.
Vtque parum metuens sed non impune deorum; quia *metuens*
in uno MS. repererat. *Æquè frustra;* ut taceam, mutatio-
nem vocis *Promètheus* in *deorum* minime probabilem esse.
Nimis tritum vocabulum est *deorum*, quam ut tanta muta-
tione potuerit in vocem *Prometheus* degenerare. Porro
quis foret ille parum metuens deorum sine nomine? Dio-
nyſ. Salvagnius hos duos versus plane censemus esse delendos,
ne Promethei exemplum bis occurreret. Hæc autem verè
intolerabilis temeritas est, & regia ad ingentes corruptiones
ac vetustissimorum dictorum jacturam via. At vide nunc
nostram loci desperati restitutionem, ubi prius didiceris, in
MSS. pro *sanguine fixus* exstare vel *arbore fixus*, vel hæc ult-
ima etiam sic ab interpolatoribus exhiberi *sanguine pasce tuo*,
imo à nonnullis etiam *corpore pasce tuo* temere obtrusum fui-
se, quæ merito exsibilia sunt. Nota itaque *mitis* in MSS.
esse, tum *arbore fixus* in Codice Sarravii. Emenda videlicet
hunc locum capitaliter ita:

Vel tua maturet, sicut Minoia fata,
Per caput infusa fervidus humor aquæ.
Utque parum mitis Samiorum impune dynastes,
Aërias volucres arbore fixus alas.
Aut velut Etracides, magno ter ab Hercule quintus,
Cæsus in immensum projiciare fretum.

Intelligitur princeps Samiorum, vel Regulus, vel, ut pro-
prie tales dicebantur, Dynastes ille Polycrates, qui ab Oroë-
te Sardibus à Cyro Rege præfecto arbore suspensus & cru-
cifixus est. Herodotus in Thalia, seu Libr. III. cap. 125.
sic rem narrat: Ἀποτείνας δὲ μιν ἐπὶ ἀξιως ἀπηγόσιος
Οροῖτης ἀνεσάυρωτε. Et mox ibidem: Πολυκράτης δὲ
ἀναρεμάμενος, ἐπετέλεσε πᾶσαν τὴν ὄψιν τῆς Θυγατρός.
hoc est: Eum Oroites, quod indignum relatu est, postquam
occidit, cruci suffixit &c. Polycrates ergo suspensus omnem fi-
liae

hæ visionem explevit. Quid jam elegantius, convenientius, verius ullis cogitationibus fingi potest? *Impune* hoc fecit Oroëtes, quia nemo illum propterea punivit, nisi quod vindicta divina eum tamen postea hinc persecuta fuisse videatur, ut idem Herodotus deinceps indicat. Aptissimè etiam *parum mitis* dicitur ipse Polycrates, ut qui durior quidem tyrannus in cives suos Samios non fuerit, sed qui tamen obtinendæ dominationis & sibi soli vindicandæ causâ fratrem unum occiderit, alterum ejecerit. Idem Herodotus Libr. III. cap. 39. videndum est; ubi Polycrates ille Æacis filius dicitur, fratres ejus Pantagnotus & Syloson. Ibidem de incredibili ejusdem felicitate, nec non de amicitiâ cum Amasi Ægyptiorum rege videri potest, quam hic abrumpendam censem, quia post tantam Polycratis felicitatem videbatur singularis quædam infelicitas necessario deinceps secutura. Vox *dynastes* & *dynasta* optimis quibusque scriptoribus, ipsique Ciceroni de hujusmodi Principibus est usitata; cuius priorem syllabam esse brevem non modo hinc, sed etiam ex ejus origine ac naturâ ob vocem *δύναμις*, recte jam alii non nulli notarunt, locumque Senecæ Tragici in Thyeste *v. 605.* *Cunæta divinat metuitque casus* pessimè olim corruptum fuisse ab iis, qui vel *dynastas* ineptissime, vel *divitias* loco *τὰ divinat* exhibebant. Et jam postremò vide aberrandi causam & facilitatem, dum ex *sanior* (ultimis literis *um ob* sequentes *im in impune absorptis*) fuit corruptum *sed non*, pro *Dynastes* vero *Prometheus* à semidoctis & bliteis illis librariis obtrusum. Creberreme contigit, ut obscuritas sive fabulæ cujusdam sive historiæ Librarios ad insignes errores perduceret, adeo etiam, ut interdum sani quoque ratiocinii in locis corrumpendis expertes fuisse videantur. Uno alteroque exemplo faciliore, sed tamen memorabili, prætermillis tot vulneribus vere Chironiis jam sanatis, illud comprobabo. Idem OVIDIUS NASO Tristium Libr. I. Eleg. IX. *v. 31.* sic canit:

*Quod pius ad manes Theseus comes iisset amico,
Tartareum dicunt indoluisse Deum.*

Euryali



*Euryali Nisi que fide tibi, Turne, relatā,
Credibile est lacrimis immaduisse genas.*

Fœdum hic iterum ulcus occurrit ac turpe, quod mox felicitter, ut spero, sanabimus. Agit Poëta de laudibus amicitiae & fidei, quæ etiam à saevissimis hostibus probetur. Addit, ut nunc ineptissime legitur, ipsum Tartareum Deum, sive Plutonem indoluisse, quod Theseus comes Pirithoo amico suo ivisset ad manes. Quid hic est *indoluisse*? Si latine volumus loqui, notat vel idem, quod succensuuisse, indignatum fuisse, plane contra mentem Auctoris. Sic Trist. Lib. II. V. 210. de Cæsare sibi irato ait: *Quem nimio plus est indoluisse semel.* Et ibid. V. 292. *subibit, Pellicibus multis banc doluisse Deam.* Et sic alibi saepè: Vel, ut hic Interpretæ forte se expedire tentabunt, id verbum idem notabit, quod commiseratum esse. Sed si notione istâ alibi non inusitatâ à nobis etiam hic capi deberet, unde Pluto ille, crudelis ac torvus, adeo repente mansuetus factus est, ut præ animi teneritudine ob vimam Thesei sortem indolescere & querelas proferre cœperit? Itane vero? Imo latet sceleratum ulcus facillimo modo tollendum. Nam Nic. Heinsius *num doluisse*, Petrus Francius vero *obstupuisse* divinans minimè audiendi sunt. In quatuor MSS. fuit *non doluisse*; quod ab iis sic interpolatum videtur, qui alterius verbi absurditatem videbant. Sed hæc lectio etiam absurda est multis de causis, quas cogitari malo, quam à me prolixitatem virante hic adscribi. Tantum dico, nullum hic ratiocinium esse sententiæ inseriens, quæ hæc sola est, ut ostendat Poëta, quanti fiat Amicitia etiam ab hostibus & ipsis tyrannis, ut eam honorandam, laudandam, & præmiis quoque interdum afficiendam censemant. Vide nunc restitutionem & veram & elegan tem. Lege:

*Quod pius ad manes Theseus comes isset amico,
Tartareum dicunt hunc soluisse Deum
Euryali Nisi que fide tibi, Turne, relatā,
Credibile est lacrimis immaduisse genas.*

Præ-

Præclarè sane & ex ipsius fabulæ fide. Theseus cum Pirit
thoo amico suo Proserpinam rapturo descenderat ad Inferos.
Sed extincto Piritthoo Theseus apud Inferos in vinculis de-
tentus manserat, donec adveniente deinceps Hercule Cerbe-
rum educturo iterum solutus, & simul cum eo ad homines in
terra viventes reversus est. Propterea jam Naso fictione
plane eleganti ac decora narrat, illud à Plutone idcirco con-
cessum fuisse Theseo tanto libentius, quod introitum ad In-
feros ob solam amicitiam Pirithoi eò, ut Proserpinam rape-
ret, tendentis fuisse ausus. Hoc itaque factò probavit Plu-
to, quanti ficeret fidem & amicitiam. Dixit verò *solutisse*
per diæresin Ovidius, ut Trist. Libr. II. Ý. 238. *evolutisse jocos*
in fine pentametri; Trist. Libr. IV. Eleg. VIII. Ý. 18. *Ne*
temerè in mediis dissoluuntur aquis. Fattor. Libr. II. Ý. 534.
Longamque imprudens exsolutissè famem. Epist. Med. Ý. 4.
Debuerat fusos evolutissè meos. Epist. Deian. Ý. 86. *Infan-*
tem cunis involutissè manum. Ubi confer ipsum eruditissimum
Nic. Heinsium. Sic etiam Tibullus ter quatérve *dissolutisse*,
dissoluenda, & *solutisse* scripsit per eandem diæresin. Ut vero
hoc loco vera scriptura *bunc solutisse* in falsam illam *indolutisse*
erat corrupta, sic loco paulo ante laudato Trist. Lib. II. Ý.
292, ubi legitur *Pellicibus multis banc dolutissè deam*, in MSS.
aliis erat *indolutisse*; ut intelligas, ita plerumque peccari so-
lere. Adhuc absurdiori ratiocinio Librarii usi sunt in hoc
OVIDII NASONIS loco corrumpendo, Metam. Libr. IX.
Ý. 21. & seq.

*Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno
Odit, & omnis abest jussorum pœna laborum.
Nam quod te jaegas Alcmenā matre creatum;
Jupiter aut falsus pater est, aut criminè verus.*

Loquitur Achelous amnis ad Oeneum regem, cuius filiam
Deianiram petebat in matrimonium, quam eandem quoque
Hercules ambiens obtinuit. Mirandum est, manifestum &
turpissimum hujus loci mendum à nullo deprehensum, mul-
to minus sanatum fuisse. In præcedentibus Ý. 8. feliciter
Cel. Burmannus corrigendum censuit *fando pervenit ad aures*



pro tandem p. a. a. sed hoc ulcus, quod longe majoris est momenti, & certiore tamen remedio, ipsis MSS. libris eò velificantibus, tolletur, latuit omnes. Achelous in prioribus alloquitur Oeneum, Deianiræ virginis parentem, in posterioribus autem ipsum rivalem suum Herculem. Ubi primò notanda est abrupta illa sermonis conversio ab Oeneo ad Herculem, nulla prius, ut fieri debebat, compellatione facta. Sed majus est, quod reprehensionem meretur. Num Hercules se falso jactasse Alcmenâ matre dici potera? Imò vero matre suâ, quæ certa & indubitata erat, ac præterea mortalis conditionis, gloriari ille Tirynthius heros non magis solebat, quam Amphitruone vitrico, sed patre Jove. De matre certus erat Hercules, & certi ferè homines sunt omnes, nisi peculiaris accedit casus. De matre hac mortali se jactandi causam Hercules habebat nullam, sed de Patre, quem dicebat esse Jovem, non Amphitruonem legitimum ceteroquin Alcmenæ maritum. Et hoc illi objicit amaro dilemmate factò Achelouis, ut verba probant manifestè, quæ proximè sequuntur. Sic Metam. Lib. I. l. 754. Epaphus Phaëtoni objicit jaëtantiam non de matre Clymene, quæ certa erat, sed de Patre Phœbo, cum ait, *es tumidus genitoris imagine falsi.* Quid ergo consilii? Vide, quam auxilia scriptorum Librorum, & lectiones Variantes saepè negligantur, quæ viam struere possunt ad Veritatem eruendam, & frustra alia subsidia à superstitionis & imperitis judicibus expectentur, qui nihil saepè minus, quam hæc Sacra intelligunt, aut de iis non melius, quam de Apelleâ Venere futores, judicare possunt, aut denique ipsi in sua infirmità & livo re arrogantisimi pro certis beneficiis falsa convicia faciunt, obpetulantiam & temeritatem odio digni. Ipsi MSS. Codices mendum innuunt. Nam unus Palatinus habebat *quo te pro quod te;* alter Lovaniensis *quo tu.* Nihil certus est quam illud *quo;* modo è proximis aliud simul mendum paulo notabilius eximatur. Emendandum est unice & distinguendum ita:

*Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno
Odit, & omnis abest jussorum pena laborum.*

Nam

*Nam quo te jāctas, Alcmenā nate, creatum,
Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.*

Dixi in illa sermonis conversione ab Oeneo ad Herculem hujus compellationem prius diserte factam requiri. Eam habes in verbis *Alcmenā nate*, quae & aculeum habent non obscurum de mortali matre. Tu, inquit Achelous, o Hercules, o Alcmenā nate, scias, quod ille Jupiter, quo te jāctas creatum esse, sit aut falsus ac fictitius pater, aut verus per adulterium. Utrumque verò, quicquid eligere malueris, est turpe & ignominiosum. Vidimus rō quo in MSS. duobus existisse. Id genuinum erat; quo sc. Jove, de quo quæstio est, & proximus etiam versus agit. Deinde *nate* restituimus dexterime pro *matre*. Cum vero in *Alcmena*, voce præcedente syllaba *na* proxima sit, hinc videtur illud *nate* primò mutilatum, ac deinde etiam ab aliis corruptum fuisse. Et sic *creatum* usitatus simul ad patrem refertur; licet minime ignoremus, interdum, quamquam rarissime, etiam *creare* pro *parere* dici de matribus; de quo Viri celeberrimi Burmannus ad Phædr. Lib. I. fab. 6. Dukerus ad Flor. Lib. I. cap. 6, & quos illi laudant, consulendi sint, quorum testimentiis alia addi possent, si istud ageretur. Sed nihil minus, quam illud hic dixit Poëta. Porro *Alcmenā nate*, pro o fili *Alcmenæ*, par pñσις est illi Virgilianæ toties iteratae de Æneā, *Nate Deā*, quā & ipse Naso utitur Metam. Lib. XII. v. 86. alibique. Ad paginas residuas, quas jamjam mihi fore vacuas nunciatur, implendas, addam quædam alia. Et cum Chironiorum ulcerum meminerim, hujus generis nonnulla in eodem NASONE ex ingenti numero, qui in promptu est, excerpam. Epistola Heroid. X, quæ est Ariadnes ad Theseum, v. 93. ita legitur:

*Si mare, si terras, porrectaque litora vidi;
Multæ mibi terræ, multæ minantur aquæ.
Cœlum restabat. timeo simulacra deorum.
Destituo rapidis præda cibusque feris.
Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis.
Externos didici læsa timere viros.*



Tertius versus adeo ab interpolatrice manu deformatus est, ut stupendum sit. Hic Cl. Burmanni attentio hactenus laudanda est, quod non modo falsitatem ejus senserit, sed Ovidii sententiam ex parte etiam odoratus fuerit. Sic enim scribit: *Sed nescio quid spurii & non Ovidiani sonet hic versus, qui forte à sciollo quodam ex Centobus aliunde conjutus est, &c. cum enim vidisset terrae & aquae mentionem factam, sibi persuasit, cælum restare; & post pauca addit: quare puto egestum & hoc loco motum genuinum versum, qui sequenti pentametro aptius cohæreat; continuisse verò hunc sensum puto: Si-ve deserta est & incolis vacua, destituor præda feris; sive colunt viri, diffidimus illis.* Hæc ultima verissima sunt. Unicè talis sensus requiritur. In eo verò Vir Celeb. errat, quod putet, genuinum versum hinc loco fuisse motum, quasi is adhuc alibi delitescat. Atqui certus sum, genuinum illum sub omnium literarum ductibus hujus sceleratè interpolati versiculi tectum latere. Vide jam, Lector benevole & erudite, restitutionem nostram, quā, quantum ulla humani ingenii sagacitas, & omnes omnium literarum ductus patiuntur, etiam singula corruptæ & interpolate scripturæ vestigia legimus. Ita Ovidius, nisi fallor, scripsit unice:

*Si mare, si terras, porrectaque litora vidi;
Multæ mibi terræ, multa minantur aquæ.
Seu nihil hic exstat timide succurrere doctum,
Destituor rapidis præda cibusque feris:
Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis.
Externos didici læsa timere viros.*

En jam sensum, quem Cl. Burmannus, & locus ipse manifeste requirit; cum alter ille, seu *deorum*, seu ex Gronov. Codice unico *ferarum* legeris, sit ineptissimus. Non Ariadne volebat in cælum avolare. Eleganter de hominibus dictum succurrere doctum, cum feræ talia nesciant. Sic pari pñœt mox ait didici timere. Ovidius ita saepè Fast. II. 300. docta tolerare, Metam. V. 54. doctus flectere. Adde è Pont. Lib. II. Epist. 9. Ý. 58. Virgil. Aen. I. 634. *Non ignara malî miseris succurrere disco.* Hæc pene ante oculos habuisse videtur

videtur Naso. Porro *exstat* iterum proprie dicitur. Art. Am. Lib. II. 637. *cum nominis exstat adulter.* E Pont. Lib. IV. Ep. XV. init. *Si quis adhuc usquam nostri non immemor exstat.* Et sic centies. Deinde *timidae* de puella, ut Am. Lib. I. El. VII. 45. *timidae inclamasse pueræ:* & Lib. II. El. VI. 43. *timidae pro te pia vota pueræ.* Præterea præsens *exstat*, non præteritum quoddam, ut *restabat*, requirebatur. Et jam perpende omnium apicum convenientiam, dum *eu nibil pro oelum*, (literæ versuum primæ in MSS. vel seorsim ponebantur, vel plane omittebantur deinde appingendæ) hic *exstat* pro *restabat*, mox *timidae pro timeo*, deinde *succurrere pro simulacra*, postremo *dœctum pro deorum restitui*. Tot veri indicia simul concurrentia quemvis etiam morosissimum de certitudine convincere debent, cum nequeant esse fortuita. En aliud interpolatorum facinus nefandum. Epist. XII. seu Medeæ apud eundem Nasonem V. 39. ita hodie legitur:

Dixerat interea tibi rex, ut dura ferorum

Insolito premeres vomere colla boum.

Martis erant tauri plus, quam per cornua, sævi;

Quorum terribilis spiritus ignis erat.

Ære pedes solidi; prætentaque naribus æra:

Nigra per adflatus hæc quoque facta fuos.

In primo veritu antiquam lectionem *Dixerat i. t. rex reposu*, pro quo Nīc. Hein-
sius ex uno MS. contra tot alios *Dicatur i. t. lex obtrusit prave*, cum ita non
premeres, sed premas in proximo versu, metro obstante, legi deberet. Adde
V. 51. verba *Dixerat Æees eleganti repetitione* *huc respiciendo esse dicta.* At
mox secundum distichon adeo desperate corruptum, ut Heinsius etiam censeat
ejiciendum esse, libris nullis succurrentibus, cui Cl. Burnmannus male parens
illud infelicibus unciniulis inclusit. At eo sublato narratio interrupta est, &
sequentia non cohærent. Præterea Pentameter *Quorum terribilis spiritus ignis*
erat venæ prorsus Ovidiana est. Am. Lib. III. El. VI. 14. *Terribili densum cum*
rulit angue caput. Sic Met. Lib. VII. 112. iisdem tauris *terribiles vultus* & V. 115.
ignes anhelatos tribuit. Verè hæc temeritas est, propter pauca gravius corru-
pta etiam fana ejicere. Sola hæc verba *plus quam per cornua sævi corrupta*
sunt, ut barbara & puerilis locutio indicat. Utinam, Ovidi, redires ab in-
feris! Certus sum, te ita scripsisse dicturum esse, ut nunc restituo:

Dixerat interea tibi rex, ut dura ferorum

Insolito premeres vomere colla boum.

Martis erant tauri, Colchis prope noxius ipsi

Quorum terribilis spiritus ignis erat.

G 3.

Ære



Aere pedes solidi, prætentaque naribus æra.

Nigra per adstans hæc quoque facta fuos.

Qui veterum scripturas viderit noveritque, animadvertis ubique apicum si militudinem, & causas interpolandi. Quorum, ait, spiritus ipsis etiam indigenis Colchis erat prope noxius, quanto magis tibi, o Jason? Hinc Met. Lib. VII. 120. ait *Mirantur Colchi*, sc. videntes talia, quæ ipsi horrebant. *Boves Marti sacros* etiam Epist. VI. vocat. Confer vero literas utrinque *plus quaper*, & *Colcis prope*, tum cornua sevi & noxius ipsis. Nihil addam ultius, sed ex eadem Medæa Epistolæ alterum locum coronidis loco adjiciam, tibi ¶. 51. hæc hodie leguntur:

Dixerat Æetes; moesti consurgitis omnes,

Mensaque purpureos deserit alta toros.

Quam tibi tunc longe regnum dotalē Creusa,

Et sacer, & magni nata Creontis erant?

Alterius versus inceptias à nemine animadversas miror. Solus Cl. Burmannus hic aliquid mali sensit. Mensa illa *alta ei jure displicet*, cum Veterum mensa supra toros parum eminerent; imo etiam humiliores essent. Unde Virgilii Æn. II. initio, *Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto*. Libri MSS. nil variant, nisi quod unus pro *deserit frustra desinit* habet. Latere ulcus existimat summus Burmannus. Sed hoc curare non vulgarem *pīva κριτικὴν* requirit. Illud de mensa remota ineptum est. Quid enim? An si Jason cum suis sociis surgebat duris ejusmodi conditionibus territus, idcirco etiam Æetes rex ipse Colchorum cum suis surgere debebat? an idcirco statim mensa tollenda, quasi tumultu orto, qui verberibus in triclinio decidendus esset? Nam de locutione *mensa deserit toros* jam questus est Burmannus. En vero genuinam Ovidii scripturam. Emenda me fidejussore unice:

Dixerat Æetes; moesti consurgitis omnes,

Versaque purpureus deserit ora color.


Quam tibi tunc longe regnum dotalē Creusa,

Et sacer, & magni nata Creontis erant?

Id est, pallidus color simul inficit ora præ pavore. Purpureus ille color, quo tu, Jason, eminebas, deserit ora tua versa, nec non tuorum. *Versa ora latiniſſime eo sensu dictum.* Ipse Naso iterum Lib. IV. Trist. El. II. 23. *Et cerner vultus aliis pro tempore versos.* Horat. Lib. II. Sat. VIII. 35. *verttere pallor Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres Potores.* Porro *os purpureum*, color purpureus centies occurruunt pro formoso. Horatius Lib. III. Od. 3. *Purpureo babit ore nectar, & Lib. II. Od. 5. Purpureo varius colore.* Stat. Theb. III. 441. *Purpureo vebit ore diem.* & Lib. VII. 148. de Baccho: *Purpureum tristi turbatus pectore vultum.* Ipse Naso noster locutione *purpureus color* saepè alibi utitur. Vide Metam. Lib. III. 485. & XIV. 393. Confer similia Epist. Her. XI. 27. Amor. Lib. II. Eleg. V. 34. Art. Am. Lib. I. 120. alibique. Nos enim hic pedem figimus, contenti iis, quæ primo in manus incidebant, correptis residuum spatiū implevisse.

T A N T V M .

ELE-



ELEGIA,
LOCO PROGRAMMatis AD CONVOCANDAM
CONCIONEM PVBLICE AFFIXA.

RECTOR
ET
SENATVS ACADEMICVS
L. B. S.

Mortales homines, quibus immortale Lyceum
Provida committunt Numinia, s̄epe cadunt.
Musarum sedes ut toto nobilis ævo
Floreat, & munquam diminuatur honos,
Secula nec cessent se longis trudere seclis,
Secula perpetuis continuanda rotis,
Fas & Jura volunt; quorum terrestria nutu
Omnia decretis convenienter eunt.
Mortales eadem fragilesque, perennia servent
Ut Sacra, Pieris constituere locis;
Utque per instabiles stabilis sine labe feratur
Artibus & studiis gloria parta, jubent.

Numi-



*Numinis æternam quis eam reprehendere legem,
Et velut injustas audeat ore vices?*

*Sæpe licet tristes duræque gravissima longo
Damna ferant tandem vix superanda die.*

*Talis in hoc rerum series cognoscitur orbe:
Talis adorandi provida cura Dei.*

*Quis Themidos tantum cultores dixerit omnes,
Quosque suos mystas hic venerata Dice?*

*Atra dies simili paullatim sustulit ictu,
Obruit & cunctos sæva procella Viros;*

*Propositamque semel mortis calcare coëgit,
Nobilis elus'd Pæonis arte, viam,*

*Qui, ne mortalis studiorum fama periret,
Conati fuerant mentis & oris ope.*

*Hac tamen invitâ sed iidem Morte perennem
Vivendi meritis obtinuere modum;*

*Æternumque, prius quo non potuere potiri,
Acquisiverunt post sua fata diem.*

*Laudibus & titulis lætantur in omnia vitam
Secula diffundi nominibusque suam.*

*Provenit hinc etenim, quos tollit in ardua Virtus,
Omnibus à tristi libera vita nece.*

*Eripiunt nigris hos vel sua scripta sepulcris,
Digna quoque à sera posteritate legi:*

Facta

Facta vel humanae prodesse valentia genti,
 Ut decet, ingenuo commemorata stylo.
 Præsertim donis si Jura nocentibus æqua,
 Et conservatis dicta fuere bonis;
 Justitiaque Nefas quodvis medicante retusum,
 Quā nihil hic totus sanctius orbis habet
 Jure Sacerdotes hos dixeris esse Patresque,
 Quos colat & juvenum, quos colat ordo senum.
 Hi quia, quo possint lætari, fraude repulsi,
 Hi quia, quod discant, quodque sequantur, habent.
 Talibus en meritis struxerunt aurea quondam
 Heroës tanti semper ad astra viam;
 Quos pia Posteritas veneratur, & æthere lapsos
 Pene velut Genios morte carere putat.
 Nomen honoratum toto volat orbe superstes:
 Utque recens, quovis tempore durat honos,
 Quin & ab exsequiis augetur fama supremis,
 Alterius vitae præmia justa ferens.
 Quatenus incolumem Virtutem saepe solemus
 Spernere, sublatam querere prava cohors.
 At reliquos cohibens penitus tegit urna, premitque
 Omnia cum toto nomine viliis humus;
 Quos modo præsentis vitae peritura voluptas,
 Quos cibus & potus, fulvaque massa jucut:

H

Fœni-



Fæmineas inter quos garrula turba cathedras,
 Et stolido plausus judice plebe datus.
Quos nihil eximium, nihil immortale futurum
 Segnities vecors posse parare sinit;
 Sic tamen ut meritis aliorum nubila sperent
 Objicere insana garrulitate feri.
Qualiter obscuro fumos glomerabat ab antro
 Cacus, Aventini prædo luesque jugi.
 Ne cum luce brevi (brevis est longissima quævis
 Humanos inter vita peracta greges)
Ne cum præsentis, quod transvolat ocios Euro,
 Temporis usurâ concidat omnis honor,
 Nosque, velut nunquam nati, fileamur in ævo,
 Turpiter & toti contumulemur humo,
 Auxiliis aliis, aliâ res indiget arte,
 Quam tuus ut civis, sic peregrinus amet:
Quam Scytha longinquis, quam vel Garamantes honorent,
 Si scierint, vastis & Nasamones agris;
Quam quoque posteritas nunquam tacitura, remotis
 Nubibus invidiae, prædicet ore pio:
 Posteritas meritis sine spe, sine labe metuque
 Distribuens laudum præmia justa Viris.
Hanc immortalem genitus sibi querere vitam,
 Ultima præstamus cui modo justa, fuit.

VIR

VIR EXCELLENTISSIMVS CONSVL
TISSIMVS ET CELEBERRIMVS
DN. CASPARVS
THEODORVS
SVMMERMANNVS,
JVRIS VTRIVSQUE DOCTOR, ET
EJVSDEM IN ACADEMIA REGIA HAC
DVISBURGENSI PROFESSOR ORDINA-
RIVS, AC SENIOR;

Ferrea quem nuper rigidarum jura Sororum

Grandævum incisâ surripiere colo.

Qui licet ætatis longæ transegerit annos,

Invida quos paucis stamina ferre solent,

Dignus obire tamen nunquam fuit, horrida leti

Si modo non aliud jus Libilitina daret.

Sed mortalis erat quoniam sibi conscius ævi,

Serius aut citius quod sua meta manet,

Hinc immortalem meritis sibi quærere vitam,

Juris & officii credidit esse sui;

Quam vel ob eximios lucratius pectore fatus

Gnavus, & ingenio parturiente fuit:

Vel sibi de tantâ discentum gente merendo,

Et studii longa conciliavit ope.

E 2 Per



*Per decies quinos dum lampada prætulit annos,
 Lumine collustrans culmina nostra suo;
 Et toti cupiens prodesse fideliter orbi,
 Postera quem titulis Fama replebit annus.
 Commoda non Illum præsentis lubrica vitæ
 Hinc abduxerunt, non speciosus honor,
 Non vaga segnities, gaudens popularibus auris,
 Tædia non aliquo nata labore domi.
 Huic quia præstari par est sua Justa, frequentes
 Ad laudes tanti, quæso, venite Viri.*

ORATIONEM FVNEBREM

CRASTINO DIE X. FEBRVAR. ANNI HVJVS
CIO 10CC LII.

POST FINITAS RITE EXSEQVIAS

IN ACROATERIO MAJORE

**EX AMPLISSIMI SENATVS ACADE-
MICI DECRETO**

H A B E B I T

JOANNES HILDEBRANDVS

W I T H O F ,

HISTORIARVM, ELOQVENTIÆ VTRIVS-
QUE, ET GRÆCÆ LINGVÆ PROFESSOR
ORDINARIUS.

DVISBVRGI AD RHENVM,

Typis JO. SEB. STRAVBII, Acad. Typogr.

Als der Wolgebohrne
Herr
Herr Caspar Theodor
Summermann

weitberühmter und hochgelehrter
Beider Rechten Doctor und Antecessor;
in dem neun und siebenzigsten Jahre eines ruhmwollen Alters
und in dem zwei und fünfzigsten öffentlicher Verdienste
durch einen seligen Tod
Sich in die Ewigkeit,
Die Hoheschule aber in eine gerechte Trauer versetzte.

1752. am 5. des Hornungs

Dr. Joh. Phil. Lor. Withof, J. H. fil.



O d e.

Da steht sie nun, und steht in goldnem Tage
Die göttliche, sie, die Gerechtigkeit;
Und wiegt bemüht auf der verglichenen Wage
Sein ganz Verdienst und Seine Lebenszeit.

Sie sieht erstaunt die Schale plötzlich sinken,
Die Sein Verdienst in vollen Haufen trägt.
Was soll die Ihr? was rückt sie mit der Linken
Den Zeiger fort? es knarrt: die Stunde schlägt.

Romm, folge mir von diesen niedern Scenen!
Gerechter, schau, Dein Nachruhm ist Dir nah.
Du, durch den ich die trefflichsten Mäcenen
Mit frischem Wuchs ins Wesen kommen sah.
Wer hat mich mehr, wer mehr wie Du geschädigt?
Der ehrt Dich zwar, der meine Höhen findet,
Ich habe Dich in Würden ausgesetzt,
Doch sodre mehr. So spricht sie und verschwindt.

Das

Das schwehre Blut stockt in den bôrren Gängen.
Die Augen täuscht ein dick geschwärzter Flor.
Er zaubert nicht die Niegel los zu sprengen,
Und wirft dem Tod die müden Glieder vor.
Der Staub erhebt und würbelt sich zur Wolke,
Wodurch Sein Ruhm mit grünen Strahlen bricht,
Der nicht gesehn vom ungewiehten Volke
Den Edlen glänzt. Der Pöbel sieht ihn nicht.

In welcher Pracht umfasst sie Dich, Gerechter,
Die Wissenschaft, der Geister Königinn?
Die folgen Kunst und Tugend, ihre Töchter.
Die Wehmuth fragts: sagt, Ewige, wohin?
Umsomst! Umsomst! Wer will den Raum begreifen,
Wo die Natur mit Spannen Sekeln misst,
Wo Welten schnell, wie fette Körner reisen,
Und ein Gedank ein ganzer Neutron ist?

Er hört entzückt die goldnen Harfen klingen,
Das Lied, das schon durch die Olympen drang,
Als Welt bei Welt zuerst nach Zahlen gingen
Und Phosphorus sich aus dem Klumpen rang.
Und hört entzückt, wie von der tiefen Sphäre
Sein dröhrend Lob ihn mutig noch ereilt,
So wie die Gluth verschnünder Altäre
Mit stolzem Schwung geschlossne Donner theilt.

Wer



Wer war er denn? der Mann von starkem Herzen,
 Der, wie die Saat, in voller Frucht verblüht?
 Er ist es, den, die Falben zu verschmerzen,
 Die Welt zugleich mit Böhmern werden sieht.
 Durch sein Verdienst quoll das Sokratische Schöne
 Der stete Trieb, der Thaten wirkt, hervor.
 Der Vater ist, der durch zween grössre Söhne
 Dem Land ersezt, was es mit ihm verlohr.

So dauert ver in ewgen Schilderrahmen,
 Der Ruhm durch Pflicht und Pflicht durch Ruhm gewann.
 Du Musse selbst, erkläre du den Namen!
 Er lebte so: so starbe Summermann.
 Und wer ist der, der noch den Namen fraget?
 Wird Elio sich um blinde wol bemühn?
 Der Dichter hat den Musen längst entsaget;
 Sie rächen sich, dann sie verwirren ihn.



64

Der, r
Er ist
Die A
Durch
Der ste
Der W
Dem L
Der M
Du M
Er leb
Und we
Wird e
Der V
Sie räc

Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

